

ADVERSARIA...

ADVERSARIA

MEDICO PRACTICA.




VOLVMINIS I. PARS IV.

LIPSIAE

APVD HAEREDES WEIDMANNI ET REICH


MDCCLXX.



I.

Tractatio de morbosa lymphae ad colatoria organa conversione.

Sanguis, in corpus universum distributus, ex se passim secretiones varias humorum absolvit et depuratur, optimamque sui partem in nutrimentum corporis convertit; cum vero in sanis et vegetis animalibus tanta ejus copia sit, quanta omnis fibris minimis apponi nequeat, in universi corporis cellulas partim gelatinosus et lymphaticus humor, partim in oleum plus minus densum coactus, pinguedo nimirum et medulla, colligitur et in futuros nutritionis usus asservatur. Humor autem lymphaticus et pinguis, post brevem remoram ex his cellulis per singulare genus lymphaticarum venarum resorptus, ad glandulas conglobatas vehitur, ut, in illis ulterius elaboratus, ad cisternam lumbarem et ductum thoracicum ducatur, postea sanguini venoso admixtus et per circulationis et sanguificationis vires cum cruore subactus, in novo ad minima corporis vasa progressu, nutriendae fibrae omnino idoneus fiat. Haec breviter indicata, ul-



terius declarat physiologia, anatome accuratiori vias monstrante.

Lymphae, sanguini admiscendae, indoles ejusque mutatio in motu progressivo et intestino, per arterias ad minima usque vasa directo, difficulter explicatur. Cum enim in sana et optima humorum crasi sanguis, in arteriae ramos undiquaque distributus, lymphaticam partem intime sibi admixtam habeat, quaestio illa, cur subtilissimas has partes non protinus in varia et amplissima organa colatoria dimittat, ardua profecto est, quam physiologi, licet chemicis tentaminibus adjuti, accurate solvere nequeunt. Ex phaenomenis tamen omnino patet, neque sudorem, neque urinam, nec mucum, in glandulis folliculosis secretum, nec salivam, quamquam nonnulli ex his humoribus particulis gelatinosis referti sunt, veram lympham comprehendere, bilem nunquam lymphaticam partem admixtam habere, sperma autem virile et lac in mammis et in naturali sua mixtione lymphaticis particulis abundare.

Hypotheses varias, quibus elaborationes humorum in universum et sigillatim secretionum rationem declarare conantur, fusius nunc recensere et dijudicare a nostro consilio abhorret; ex effectibus

tantum

tantum concludimus atque ut certum ſtatuimus, moderatum et cuilibet homini aequabile partium ſolidarum robur, elaſticum et vitale, hanc circulationem et ſucceſſivam elaborationem cruoris ita efficere, ut tandem in ſingulis organis ſecretoriis diverſi humores ſecernantur. Quidam ex his protinus e corpore promoventur, alii tum demum, cum in varios uſus diſtributi ſunt, ex quibus etiam variae particulae per vaſa venoſa iterum reſorbentur et in circulum humorum univerſalem redeunt, lymphatica autem et nobilior ſanguinis pars, ad minima vaſa ducta, in eorum fibris nutritionem efficit et, ſi ſuperflua eſt, in cellulis minimis reconditur, interea fluidum ſubtiliſſimum, nerveum ſcilicet, ex optima parte ſanguinis, per nobiliſſimum encephali organum ſecernitur et vigorem totius corporis in ſolidis minimis, per fibras medullares eo ductum, efficit.

Noſtrum vero eſt, in hac tractatione ex phaenomenis, in variis morbis obvenientibus, declarare, quare interdum optima et lymphatica ſanguinis pars, quae in proſpera corporis valetudine ad varia organa ſecretoria non defertur, poſt actiones univerſales laeſas, tandem eo deferatur, quae morboſa lymphae ad colataria organa converſio eſt.



Quod vero monuimus, in ſanis etiam hominibus aliquam partem lymphae nutriciae ad ſperma virile et lac in mammis accedere, id porro nunc, et primo quidem loco, ita explicemus, ut, quomodo in morboſis mutationibus evidentius appareat, intelligamus.

Qui ſani ceteroquin ſunt, ſed vel veneris abuſu vel illicitis artibus ſperma nimium profundunt, languidi et tabidi redduntur. Hoc in adoleſcentibus, qui ad plenarium corporis incrementum nondum pervenerunt, luculentius apparet; hi enim ſaepe adeo languent, ut, fracto abinde corporis vigore, trigeſimo ſaepe aetatis anno vel citius maraſmo quodam afficiantur. Etſi vero iis, qui ad viceſimum annum acceſſerunt et, oſſibus ubique confirmatis, in longitudinem non amplius excreſcunt, hoc ſpermatis diſpendium non tam exitioſum eſt, in nimia tamen hujus humoris profuſione defectum virium, nutritione acquirendarum, ratione vigoris elaſtici atque vitalis ſentiunt et tabe ſic dicta dorſali afficiuntur. Mittimus nunc argumentum, ab iis petitum, quibus teſticuli praeſciſſi ſunt, qui, inprimis ſi large nutriuntur, pinguedine ultra modum collecta, ad ſummam ſaepe obeſitatem diſponuntur, idque propterea, quod ſaepenumero nu-

tritio-

tritionem fluidorum tantum acquirunt, vigore solidarum partium utplurimum prorsus deficiente. Cum itaque spermatis masculini indoles abunde demonstret, moderatam lymphae copiam eidem accedere; quae tunc universae nutritioni et vigori corporis nihil detrahit, in nimia tamen hujus humoris profusione, lympha, ad nutritionem veram requisita, justo copiosius eo defertur et corpori vigor elasticus, a lympha, ut glutine fibrarum, pendens et vitalis a fluido nerveo, in secretione sua et vi quoque turbato, detrahitur.

Hujus rei phaenomena in gonorrhaea benigna quoque patent. Quoniam vero in hoc morbo non semper spermatis ipsius, sed saepe tantum liquoris prostatarum profluvium observatur, id quod summam, ut constat, hujus glandulae laxitatem indicat, quaestio omnino movenda est, annon et huic liquori plus lymphatici succi accedat, quam reliquis mucosis glandulis, et simplicibus, et compositis in cavitate urethrae deprehensis. Consistentia quidem liquoris glandulae prostatae in sanis, a muco glandularum folliculosarum maxime diversa, id evincit; quod si vero et hoc probari non posset, dubium tamen non est, a nimio hujus humoris, cum vel sine




ſpermate, effluxu, lymphae quoque nutrientis diſpendium fieri.

Quae cum ita ſint, etiam ad feminas, nimio veneris uſu debilitatas, provocare poſſumus. Etſi igitur in his verus humor ſpermaticus, cum virili comparandus, non effluit, ex orificio tamen et cervice uteri blandus quidam et lymphatico humori ſimilis mucus accedit, cujus diſpendium non ſolum in crebriori coitu, ſed etiam in gonorrhaea muliebri ſeu fluore albo, qui, quod acrimonia et contagio caret, benignus dicitur, obſervatur. Monendum enim omnino eſt, benignam ſic dictam gonorrhaeam in viris et feminis talem vere non eſſe, ſed viribus inſidioſam, corpori exitioſam et certe malignam dici et poſſe et debere, quoniam ſummam ſaepe corporis debilitatem affert.

Haec tractatio attentionem noſtram ad optimos humores, in glandulas folliculoſas, ut organum muci ſecretorium univerſum, dirigeret, niſi inſtituto noſtro magis accommodatum videretur, ſecretionem lactis in mammis antea ſub examen revocare. In feminis nimirum aliqua pars lymphae ad mammas derivatur; mater enim, quae hucusque foetum ex lymphaticis ſuis humoribus, ſcilicet ex optimo

optimo ſanguine, his particulis ſcatente, nutrivit, nunc poſt puerperium ſimile nutrimentum ex mammis infanti nato tradit. Quamquam enim chyli ſingulares dotes in lacte ſe offerunt, non citius tamen chylus in lac convertitur, quam tum, cum lympha, in corpore reſlua, ei jam admixta eſt; ſic enim ille ad ſanguinem et ex hoc celeri ſecretione ad mammas progreditur, et in iis lac, ut primum infantis recens nati nutrimentum, elaboratur. Quoniam vero haec naturae via eſt, feminae vegetae et robuſtae, durante lactatione, nullum virium defectum ſentiunt, imbecilles autem, quae tempore graviditatis humores magis in foetum, quam in ſe ipſas convertunt, ideoque non raro languores ſentiunt, paullo poſt in lactatione tantam lymphae copiam ad mammas ducunt, ut, ea in minimis corporis vaſis deficiente, marceſcant et, niſi a lactatione omnino removeantur, tabidae fiant.

Poſſem hic nonnulla de abſceſſibus lacteis puerperarum, ſive de converſione lactis et lymphae per metaſtaſin ad varia ſtrata contextus celluloſi commemorare: ſed cum ardua haec doctrina paucis abſolvi nequeat, nosque ideo a conſilio tractationis hujus nimium avocaret, eam mittendam ducimus. Poſtquam vero exempla converſionis lymphae ad



colatoria organa, per experientiam quotidianam ſatis confirmata propoſuimus, alia et, quae rarius eveniunt, conſideremus. Inter multos enim aegros, qui tabe et phthiſi laborant et morbo lento miſere conficiuntur, languoris et mortis cauſſas, hac in re poſitas, perſpicimus. Conſideremus autem primum muci colatoria in glandulis folliculoſis, deinde diarrhoeas colliquativas dijudicemus, quo porro ad ſalivationem nimiam declarandam progrediamur, tum urinam diabeticam et denique ſudorem colliquativum examinare queamus.


In cavitatibus faucium et pulmonum, in quibus aeris acceſſus perſpirabilis humoris facilem diſſipationem et viarum nimiam ſiccitatem efficeret, glandulae folliculoſae collocatae ſunt, in quarum cavis mucus tenuis exſudat et collectus non nihil inſpiſſatur, quo illiniendis his partibus inſerviat. Viſcidus & nimis ſpiſſus redditus mucus ſcreatu et tuſſi eliminandus eſt, ſaepe vero inſignis copia viſcidi humoris ex pulmonibus excernitur, qui interdum pituitam tenuem pellucidam, nonnunquam purulentam materiem refert, ex cujus rejectione imprudentes ſaepe obſervatores ad ulcera pulmonum concludunt. Quod ſi tamen ad omnia phaenomena recte attendimus, non ulcere laeſi, ſed

tantum

tantum relaxati pulmones ſunt, qui ex interna potiſſimum tracheae et bronchiorum tunica uberiorem et, lymphae acceſſione gelatinoſam magis factam muci copiam excernunt. Haec lymphae converſio in pulmones non tantum in iis, qui phthiſi pulmonali laborant, ad pus, ibi in ulceribus collectum, copioſius accedit, ſed etiam tum, cum tuſſes catarrhales diutius protrahuntur, cum continua pulmonum agitatio, humores in univerſum et praecipue relaxantem mucum allicit, uberiorem quoque lymphae acceſſionem inducit, qua non ſolum corpora debilitantur, ſed ex hac quoque cauſſa decubitus ad pulmones pejores redduntur.

Etſi vero in adultis et vegetis ſaepe hominibus tuſſes catarrhales, diutius durantes, hanc ob cauſſam exitioſae ſunt, id tamen rarius in his, quam in ſenibus accidit, quippe qui inprimis ad has tuſſes maraſmodes proclives ſunt. Infantes autem ſaepiſſime hac tuſſi ad maciem diſponuntur, quae, cum tuſſi ſtomachicae ferme ſimilis ſit, hujus cauſſa cum cauſſa alterius nonnunquam confunditur. Praeter cauſſas vero, in nutritione et reliqua infantum diaeta accuratius diſtinguendas, haec noſtra non tam ſpaſtica eſt, quam languida phthiſicorum ſimilis, caret etiam noſtra, edendi cupiditate, quae in ſtomachica

fre-



frequentius obſervatur. Haec infantum tuſſis ſimilis certe indolis eſt atque tuſſis maraſmodes ſenum; ut enim in diverſa aetate accidat, tamen, cum vires a defectu verae nutritionis jam languentes vehementer frangat et ad lentam mortem diſponat, cum illa certe comparari poteſt et debet.

Liceat paucis tangere novum morbum infantum, quem Cl. HOME *) ſuffocationem ſtridulam & anglico, in vulgus recepto nomine, *Croup* appellat. Refert enim ille, in aſpera arteria denſam tunicam naſci, quae ſubito indureſcit et inflammatorio morbo ſimilis videtur, quamvis nulla ferme in pulmonibus labes reperiatur; quoniam vero infantes ad ſuffocationem diſponit, eosque raucedine ſingulari ſeu voce ſtridula afficit, ſuffocationem ſtridulam vocat. Eſt autem profecto, niſi nos omnia fallunt, tuſſis catarrhalis, in qua lympha nimio impetu ad pulmones fertur, quae coagulata in tunicam ſeu cruſtam denſatur et, liberam reſpirationem impediens, infantes ſine inflammatione ſuffocat.

Et ex naribus, ut ampliſſimo colatorio muci, in tunica pituitaria diſtributo, ſaepe non ſolum ex-

cremen-

*) An inquiry into the nature, cauſe and cure of the Croup. by FRANCIS HOME M. D. Edimburgh 1765. 8. maj.

crementitius mucus excernitur, ſed ei quoque lymphaticus humor accedit. Quamquam vero in his viis non tam copioſus materiae lymphaticae acceſſus, quam in bronchiis obſervatur, tamen ſi poſt gravedinem mucus copioſior excernitur, is in principio tenax et lentus, paulo poſt tenuis et lymphaticus profluit, in primis ſi excretio longius producitur, ſummus aegris languor creatur, qui, non niſi robore univerſali reſtituto et tunica pituitaria liberi aeris acceſſu confirmata, corrigitur. Senibus quidem crebra deſtillatio ex naribus utplurimum moleſta eſt, quae, etſi ex acrimonia humorum in iis pendere videtur, non ſolum eroſiones narium affert, ſed etiam ob aliquem boni humoris acceſſum debilitatem ſenii auget.

In univerſo tubo alimentari, a faucibus ad anum usque extenſo, copioſae glandulae folliculoſae, mucum ſecernentes, poſitae ſunt, quae non raro nobilem lympham admittunt. In imbecillis quidem hominibus, qui victu molli nutriuntur et vitae ſedentariae indulgent, haud raro appetitus ciborum adeo dejicitur, ut contabeſcant, ſimul tamen magna ſaepenumero muci tenuis copia exſpuitur. Haec quidem potiſſimum ex faucibus et viis ſalivalibus profluere videtur, ſed cum leves vomendi conatus

acce-

accedunt, ipſi aegri, eam ex ventriculo ſurgere, ſentiunt. Tuſſis ſic dicta ſtomachica non in infantibus ſolum, ſed in adultis quoque his moleſtiis ſtipata, reperitur, attamen et in aliis aegris ſaepe ſine tuſſiendi conatu, ſine vomitu vehementi, cibum aſſumtum exprimente, haec ſputatio lymphatica obſervatur, in qua turgens quaſi materia ex oeſophago ſurgit et rejectionem ferme continuam urget. Eſt certe materia, in vaſculis ſputatoriis collecta, pituitae ſimilis, alba, pellucida, ponderoſa, et, niſi ejus profluvium coercetur, aegros, tabe confectos, tollit. Vidimus ſaepenumero medicos parum cautos, vomitoriis datis, ſalutem huic malo quaeſiviſſe, mortem tamen iis acceleraſſe. Neque tamen alia et facilis huic morbo medela affertur, cognovimus enim iſtum, ubi quodammodo adoleverit, vel optimis propinatis medicamentis, compeſci haud poſſe.

Simili ratione compertum eſt, diarrhoeas ſaepe nobiliſſimam corporis lympham ſubducere. In crebrioribus cauſſis, quae a perverſa infantum et adultorum nutritione excitantur et morbos generant, repetitis purgantibus opus eſt, ſed caveat medicus, ne nimio et ſaepe leniorum ſalinorum et lubricantium uſu, quae imbecillis convenire viden-

tur,

tur, alvum moveat, propterea quod diarrhoeae continuae inducuntur, quibus durantibus, aegri languent. Saepius vero hoc malum tum imminet, cum alvus varia eſt, mox ſicca, mox fluida. In adultis tunc clanculum obrepit lienteriae ſpecies et cibi ſemidigeſti cum muco excernuntur; in infantibus autem coeliaca paſſio, ſub fallaci ſpecie lactis, a nutricibus copioſius dati, accedit, quam multi ſine noxa ferri poſſe credunt et dejectiones lacteas, *Milchſtühle*, appellant. In his certe omnibus niſi primarum viarum robur cito inſtauretur, et clandeſtinae vaſorum lacteorum obſtructiones reſerrantur, languor et atrophia ingruit, nullis remediis compeſcenda.

Et in adultis, ſi cum tabido ſtatu frequens mucus per diarrhoeas excernitur, attendat medicus, ſitne mucus ille tenuis, ſubalbidus, pellucidus, an alius generis, is enim lymphatici quid habet, cujus excretio nullo modo promovenda eſt. Non minus diligenter oportet attendi ad eos, qui haemorrhoidibus, quas vocant mucoſas, laborant. Noveram virum, duriori vitae generi aſſuetum, qui, cum haemorrhoidibus mucoſis, largius fluentibus, laboraret, hoc fluxu maxime vexabatur, ſi equo fuerat vectus, quod tamen propter vitae genus, quo utebatur,



batur, necessarium erat. Hic sub continuo purgantium et saepe drasticorum usu adeo contabuerat, ut non nisi longa et taediosa curatione, per victum idoneum et exquisita roborantia medicamenta restitueretur. Ex hujus et alius, ex hoc fere genere aegri muco secedente, postea quam examinaveram, cognovi, lymphaticas particulas ei fuisse admixtas; praeter alia enim signa, passim a me indicata, odor non ita putridus, sed subdulcis et nauseosus erat, et acida et ignis coagula, albumini ovorum similia, prodebant. Hae diarrhoeae, quae in acutis morbis, ut colliquativae, considerantur, in chronicis morbis saepe negliguntur, prae reliquis tamen ventris fluxibus debilitatem insignem afferunt.

Sed et lympha, in salivam conversa, minime negligenda est. Si lues venerea omnes humores corporis, et lymphaticos praecipue, inquinavit, mercurii, ut potentissimi resolventis medicamenti, vario usu humores ita resolvuntur, ut semper ferme salivatione mercuriali subducantur. Saliva, quae tum temporis exspuitur, vere lymphatica, alba, pellucida et ponderosa est, ejusque affluxu aegri maxime enervantur. Etsi vero salivam, pondere notabili insignem, nonnulli medicorum mercurio admixto tribuunt, tamen vere lymphatico et nobili

humori

humori illud pondus adſcribi debere, examen accuratius docet; obſervavimus enim, urinam eorum, qui ſalivationem mercurialem ſubeunt, ſaepe etiam ponderoſam eſſe, lymphamque ipſam ſub mucoſi ſedimenti ſpecie ſecedere. Accedunt tunc ſaepe diarrhoeae colliquativae, non a ſola ſaliva acri deglutita, ſed ex indole humorum per diarrhoeas ſimul ſubducendorum. Cum itaque in gravi hoc morbo miaſma malignum et contagioſum diſſipari non poſſit, niſi pinguedine et lympha penitus reſoluta, converſio ejus in varia colatoria organa, ex ipſa medentium indicatione ſequitur: Sed caute omnino hac in re verſandum eſt, ne ex una parte incompleta reſolutio viſcidi et inde pendens diſſipatio venerei contagii, ex altera vero nimia corporum deſtructio exiſtat. Dolendum ſane eſt, quod graviſſimae hae curationes ab iis ſuſcipiantur, qui, vel verae medicinae ignari ſunt, vel ſi et ipſi medici appellantur, phaenomena elaborationis lymphae, ſecretionis et nutritionis nunquam ad genuinam doctrinam phyſiologicam exigunt, quod tamen in his curationibus ſumme neceſſarium eſt. Quod ſi denique examinemus novas, ſed ſaepe mancas et imperfectas luem veneream curandi rationes, quae miaſma movent, minime vero pro-



movent; nonne post eas absolutas aegri semper languent? nonne vestigia pristini morbi et ipsi nihilominus sentiunt et liberis, ex se genitis, eadem impressa vident? Non lubet, hoc loco damna, in rempublicam exinde redundantia, prosequi, sunt vero tanta, ut severam medicorum provincialium attentionem poscant.

Adjiciamus his pauca de herbae nicotianae et medicamentorum masticatoriorum usu. Qui in hauriendo herbae nicotianae fumo modum excedunt et salivam copiose exspuunt, sanitati non consulunt; quanquam enim lymphatici humores largo flumine non secedunt, aliquid tamen gelatinosi salivae semper admixtum est, ex qua re non subita quidem, at lenta noxa oritur. Ex consilio quidem medicorum masticatoria medicamenta v. c. radix pyrethri vel pimpinellae, nec non caryophylli et alia aromata in doloribus dentium aliisque congestionibus serosis ad fauces adhibentur et seri affluxus cum saliva augetur, his tamen remediis non nimis utendum est, ne tenuiorum et forte lymphaticorum humorum evacuatio nimium promoveatur.

Ad urinae secretionem quod attinet, illa quidem prima est, quae superfluos humores ex corpore subducit et inprimis aquosum potum, copiosius haustum,

hauſtum, protinus ex corpore derivat. Etſi igitur ut humor mere excrementitius conſiderandus eſt, tamen largior ejus excretio attentionem noſtram exigit.

Hic quidem monendi ſunt copioſae aquae potatores, qui ſibi, et interdum a medicis ſeducti, perſuadent, omnem ſanguinis acrimoniam aqua pura corrigi et ſine omni damno poſſe per renes ſubduci. Quemadmodum vero haud conſultum eſt, ſanguinis maſſam nimia aquae copia onerare, quae eidem vere non immiſcetur, ſed cum rubicundis ſanguinis globulis fluit, ſic et porro cum largiter per tubulos urinarios effluat, has vias ita relaxat, ut ſecretiones non ſalutares, ſed colliquativas efficiat, idque propterea, quod non mere ſeroſae, ſed ſubtiliſſimae lymphaticae particulae, corpori utiles, ſubducuntur.

Profluvium hoc, quod per depravatam conſuetudinem ſaepe fit, in morbis acutis longe evidentius, quam in ceteris, ut noxium cognoſcitur. Accidit enim ſaepius, ut in iis, qui gravi morbo acuto debilitantur, inprimis ſi larga criſis per urinam praeceſſerit, peculiaris quaedam infirmitas in renibus relicta maneat. Tum igitur, cum in ſtatu convaleſcentiae nutrimentum largius ſuſcipitur, idque vel



ob copiam, vel ob corporis imbecillitatem, non ſatis ſubigitur, optima ejus pars in renes convertitur, urina haud raro lymphatica, ſero lactis quodammodo ſimilis, excernitur et longae imbecillitatis cauſſa eſt. Ad hanc rem medici diligenter attendant, ut, roborantibus medicamentis caute datis, et ſicco potius, quam nimium jurulento nutrimento, noxam inde metuendam avertant. Etſi enim experientia abunde docet, poſt graviſſimos morbos acutos ſuperatos, chronicos ex variis cauſſis, quas hic fuſius commemorare nolo, ſuccedere, inter eas tamen, largum hoc et diabeticum profluvium urinae, clandeſtinum ſaepe et maxime exitioſum damnum, in imbecillis corporibus non ſolum habet, ſed robuſtos etiam haud raro ad tabem diſponit. Negari quidem non poteſt, veram diabetem, quae in chronico morbo lymphaticam urinam excernit, inter rariores morbos referri debere, ille tamen, quem nunc commemoravimus, morbi gradus, in chronicis et acutis frequentiſſimum ſymptoma eſt et viſcida nubecula, in urina ſubſidens, non ſemper excrementitius mucus, ſed ſaepe lympha eſt, cujus excretio ſi permaneat, facit, ut vires colliqueſcant.

Quem-

Quemadmodum urina crassas, tartareas et viscidas, sic aucta perspiratio et sudor subtilisatas magis et volatiles humorum particulas subducit. Quamquam vero nostra aetate prophylacticae sudationes, quae olim tam frequenter in usu erant et balnea calida, quae eas fovent, a medicis exercitatis maxime repudiantur, tamen, cum a nonnullis adhuc commendentur, pauca de iis proferre, instituto nostro consentaneum judico. Languores febriles, ex caussa catarrhali saepius inductos, sudor largus et spontaneus nonnunquam corrigit. Quidam igitur, qui similia incommoda sentiunt, hanc excretionem solam necessariam esse judicant, neque examinant: utrum languores illi, ex labe primarum viarum, an ex cacochymia sanguinis & humorum oriantur? sed sudorifico medicamento mitissimo v. c. roob sambuci et aliis saepe calidis aromaticis volatilibus et interdum theriacis vel aliis electuariis opiatis sudorem sibi movent, quae quidem medendi ratio interdum in robustis et succiplenis cum levamine, aliquando et in imbecillis cum praesente auxilio, in his tamen non raro cum insigni virium dejectione applicatur.

Neque vero tantum ad prophylacticas has sudationes respiciendum est, sed et ad sudores noctur-



nos, qui in multis obesis et in nonnullis macilentis ex consuetudine foventur. Isti enim etsi utiles videntur, semper tamen, si diutius durent, exitiosi sunt. Stragula calidiora, plumis infarcta, vestimenta ex pellibus animalium, quibus se plures onerant, hujus rei saepe primae caussae sunt, praecipue si molli vitae assueti, in conclavibus calefactis dormiunt. Crebriores autem sunt hi sudores colliquativi in infantibus nostris, in quibus saepius ex acri victu, potu calido et universo regimine calorifico moventur. Atrophici inde fiunt infantes, quanquam nonnulli medici hos sudores non caussam, sed symptoma tantum atrophiae infantum dicant. Vere enim regimen nimis calidum infantibus nostris nocere, ex eo patet, quod adultos etiamsi adsuetos, subinde ad cacochymiam et scorbuticas purpuras disponit.

Etsi vero subtilisata cacochymia in febribus acutis saepe largo et foetido sudore dissipatur et amplissimum cutis colatorium copiosas et salutares acrium particularum dissipationes admittit, earum tamen ratio bene exploranda est, utrum ex vi vitae, an ex vi morbi pendeant? Quemadmodum enim de symptomaticis sudoribus supprimendis sedulo cogitandum est, ita de criticis salutaribus non semper

valida

valida medicamentorum vi, ſed melius regimine promovendis et moderandis ſolliciti ſimus, ne colliquativi et viribus vitae inſidioſi evadant. Sudoris ſic dicti anglici deſcriptio in morbo acuto, vel ſudores perpetui viſcidi in tabidis et febri lenta affectis, lympham ipſam ſubtilem ſub ſudoris hujus ſpecie in cutim converti, clare demonſtrant. Quod ſi igitur cutis jam prorſus relaxata et oſtia perſpirationis nimis aperta ſunt, nulla medela afferri poteſt, initiis igitur horum morborum omnino reſiſtendum eſt. Perſpiratio blanda naturae vegetae indicium eſt, ſudor ſemper exitioſus, quanquam noxa, corpori inde illata, in aliis citius, in aliis ſerius cognoſcitur.

Ex iis, quae hucusque a nobis propoſita ſunt, ſatis apparet, quomodo lymphatica et nutriens corporis materia in varia colatoria convertatur, ideoque in detrimentum corporis excernatur. Neque tamen modo ad ea, quae in praxi clinica obveniunt, exempla, ſed etiam ad alia, in chirurgicis annotanda, reſpicere oportet. Suppuratio eſt reſolutio partium deſtructarum in tumore inflammatorio, blando lymphae affluxu temperata, qui ſi moderatus eſt, ſine inſigni corporis detrimento abſceſſus et vulnera pura reddit et ad conſolidationem diſponit; contra ea largior ſuppuratio in abſceſſibus

et vulneribus magnis ſaepe exitioſa eſt, ita, ut vel ex natura vulneris pendens, vel nimio digeſtivorum emollientium uſu excitata, corpora infirma tabidaque reddat et conſolidationem vulnerum retardet et impediat. Ulcera quoque diuturna, ex abſceſſibus et vulneribus, non recte tractatis, oriunda, quin etiam in infantibus, adultis et ſenibus ex dyſcraſia humorum, ſine vulnere ſponte nata, omnem vim ſanguinis, in lymphatico humore poſitam, ex impuris etiam ulceribus ſimul cum ſanie derivant, ex qua cauſſa febres lentae inducuntur. Si enim hanc rem accurate perpendimus, ſanies ipſa eſt lympha ſaepe attenuata et acris facta.

Quoniam vero perſpeximus, doctrinam hanc, ample ſatis a nobis conſideratam, in variis morbis ſub varia ſpecie apparere, atque medicos in ea declaranda variis nominibus uti, his examinandis paullulum immorabimur. Sunt autem nomina, quae inter ſe comparari et in univerſum examinari debent, haec: glutinoſum ſpontaneum, pituita vitrea, diabetes, excretiones colliquativae.

Ex victu viſcido vegetabili et animali, per languida viſcera non ſatis ſubacto, in primis viis non ſolum viſcidus mucus ceu pituita iners et tenax colligitur, ſed ille per vias lacteas ſubinde in ſanguinem

nem ducitur, ideoque etiam in reliquos corporis humores derivatur et glutinofum adfcititium, hoc eft, per diaetae vitia acquifitum, commode dici poteft. Ab hoc itaque omnino differt glutinofum fpontaneum, quod humores tenues lymphaticos, in corpore ex optimo fanguine elaborandos, vere coagulatos et immobiles exhibet et, vegetis minimarum partium folidarum motibus deficientibus, coagula haec fpontanea lymphae non amplius gelatinofae, fed glutinofae efficit, vel admittit. Itaque plures medici dum cauffas occafionales et praedifponentes examinant, adfcititium a fpontaneo non fatis diftinxiffe, mihi vifi funt. Ill. van SWIETEN in commentario ad §. 69. Aphorifmorum BOERHAAVII Tom. I. p. 92. in glutinofo fpontaneo ad adfcititii cauffas, effectus, cet. refpicit et de pituita fenum, in nares et pectus converfa, quaedam admonet, quae ad noftram tractationem pertinere videntur, fed vera ratio inde non peti poteft, quam tribus verbis in Pathologia noftra edit. 1767. §. 162. inter cauffas praedifponentes indicavimus.

Equidem non negaverim, vifcidum adfcititium, ex eo, quod folida relaxat, generando glutinofo fpontaneo anfam praebere, fed eft tamen alia particularum indoles, in vifcido non fubacto, et in

lympha, in viſcidum ſeu glutinoſum ſubinde mutata. Quemadmodum enim in inflammationibus valida humorum circulatio, calorem excitans, ſanguinem ad coagula lymphae diſponit: ſic lenta et chronica diſpoſitio humores circulantes male miſcet, ut lympha non ſolum coagulata, ſed etiam motu peccans, non in robur elaſticum corporis per nutritionem, ſed in colatoria convertatur, ibique interdum ſub tenui, interdum tamen ſub viſcida et glutinoſa indole ſe offerat.

Phlegma, mucus et pituita a veteribus interdum diſtinguuntur, ſed diſtinctionis rationes incertae ſunt. Pituitam vitream a tenaci et inerti pituita, ceu muco abundanti, diſtingui, dubium non eſt; vitrea enim pituita, quae cum ſumma, omni pituitae communi, tenacitate pelluciditatem vitream conjunctam habet et alba, tenuis, gelatinoſa apparet, omnino diverſa eſt. Etſi enim ortum ex lymphatica ſanguinis parte non declarare ſolent, tamen in morbis quibusdam, cum virium defectu conjunctis, vitream quaſi pituitam ſecerni, cognoverunt.

Nequaquam vero ſemper viſcida materia cogitur, ſed in quibusdam ſecretionibus humores optimi, in uſus nutritionis impendendi, ex corpore effluunt; a *διαβαίνω* itaque diabetem, ut profluvium

vium nimium, indicarunt et ad ſecretionem urinae largiorem attenti, non tantum in copioſo, ſed in lymphatico potius profluvio verae diabetis ideam poſuerunt.

Cum tandem ſub hoc vel alio nutrientium humorum egreſſu vires corporis imminuantur et infringantur et hoc in univerſum colliqueſcat, in ſudore nimio et diarrhoeis colliquativis has ſecretiones ponendas, putaverunt.

Has et reliquas ideas, a nobis expoſitas, ad lymphae, optime in corpore elaboratae et ad nutriendas corporis fibras derivandae, vel ſi aliter loqui velis, ad gluten fibrarum naturale impendendae derivationem ad colatoria ſive excretoria corporis organa referri et poſſe et debere, hac tractatione evincere ſumus conati.

Ut autem ea, quae hactenus propoſita ſunt, ad cauſſas univerſales revocentur, ex quibus tandem ad particulares in ſpeciali examine progrediendum eſt, aliae ad diaetam in univerſum ſpectant, aliae ex therapevticis indicationibus, male applicatis, cognoſcuntur.

In univerſum hic ad vitam molliorem et infirmitatem naturalem multorum hominum reſpicimus, qua corpus, ceteroquin ſanum, ad nimias atque pro-

profusas evacuationes pronius reddunt, quas postea in morbis, ex variis caussis evenientibus, in secretionibus quibusdam profusis et debilitantibus experiuntur, et tandem optimam quoque lympham ad haec colatoria convertunt, prout vel aetatis vel vitae generis ratio laxitates partiales relinquit. Non est hujus instituti, diaetae errores omnes, ut caussas occasionales, recensere, quae in vita molli et lauta animadvertuntur. Nam victus jurulentus, neglectus diaetae vegetabilis, potus magis calidus, quam frigidus, somnus largior in molli lectulo, fuga omnium exercitationum corporis, nimia animi contentio ac industria et plures aliae caussae deberent commemorari, quibus abundantia humoris boni colligitur, qui, quoniam non recte subigitur et in corporis nutrimentum convertitur, sed potius per varia colatoria subito excernitur, languores universales relinquit.

Videbis igitur hos homines ad varios fluxus ventris, maxime debilitantes, ad sudores profusos aliasque excretiones proclives, qui nunquam nisi universa diaeta mutata, ad illud robur pertingunt, quo incrementum et conservatio corporis efficitur. Ad haec omnia eo diligentius attendendum est, quando in tenera aetate, vel in adolescentia, vel

tum,

tum, cum vires, poſt incrementum corporis in longitudinem abſolutum, confirmandae ſunt, verus et optimus nutritius ſuccus per vias laterales derivatur.

Verum non tantum volo attendi ad cauſſas occaſionales lymphae in infirmis hominibus, ceteroquin ſanis, ad colatoria converſaë, ſed ad eas quoque, quae a variorum morborum perverſa curatione proficiſcuntur. In his autem attendatur primum abuſus medicamentorum reſolventium, quae non ſolum in vero viſcido largius adhibentur et ideo nocent, ſed etiam in lympha, ſub ſpecie muci conſiderata, damnum inferunt. Plures certe in omni excretione pituitoſa, nondum recte dijudicata, non gummi ſaponacea et amara tantum, quae forte non ita nocent, quia aliquam interdum nervinam vel roborandi vim conjunctam habent, ſed ſalina et mercurialia medicamenta largius adhibent, ex qua re non ſolum ſolidorum laxitas et debilitas, ſed fluidorum nimia reſolutio et cacochymia ſeroſa efficitur et porro fovetur. Hanc noxam vel unicum tabidorum hominum exemplum evidenter indicat, quot enim ſunt medici, qui in cauſſas tam diverſae tabis non ſatis diligenter inquirant, ſed quoniam tuſſis ſymptomatica phthiſin pulmonalem ulceroſam

menti-



mentitur, aegris magnam bechicorum, emollientium et refolventium copiam offerunt, quibus lympha, parciffime in his elaborata, omnis ferme ad pulmones convertitur. Confideremus multos afthmaticos obefos, qui hucusque victu vifcido et tenaci abufi funt, hi in decremento corporis jurulento faepe victu ad nutritionem fuftinendam replentur, quo tamen, cum in laxitate corporis non fubigi poffit, pituita vifcida magis refolvitur, nunquam vero gelatina nutriens elaboratur. Forte et tunc moderata purgantia et roborantia non inutilia forent, ad vifcerum abdominalium infarctum arcendum et veram digeftionem reftituendam, fed abufus refolventium bechicorum omnem lympham refolvit et in pulmones convertit.

Non permittit haec tractatio, arctioribus limitibus circumfcribenda, ut aliis exemplis hanc rem illuftrem, neque neceffarium judico, cum ea, quae huc faciunt, phaenomena jam fuperius declarata fint, quibus omnibus ad difpofitiones univerfales corporis attenti medici inftruuntur, quomodo in variis hominibus et inprimis aegris, nimias has lymphae evacuationes attendere et a pituita excrementitia diftinguere debeant. Quod fi vero et fummaria quaedam de therapia propofita aliquis cupiat,

huic


huic loco antea de prognofi nonnulla adfpergamus.

Morbis, a lymphae converfione ad colatoria organa obortis, in principio aptis roborantibus occurrendum effe nemo eft, quin perfpiciat, haec autem ex fonte diaetetico pariter, atque ex pharmacevtico petantur. Etenim fi, his neglectis, adoleverit morbus, is nunquam curatur. Solida enim non nifi per lympham bonam nutriuntur, nec aliter, nifi robore elaftico, in univerfo corpore reftituto, lympha recte elaboratur. Quod fi itaque hic circulus elaborationis et nutritionis turbatur, fanitas et vigor corporis nunquam recte reftituitur.

Etfi ob magnam morborum, in quibus haec lymphae converfio in colatoria obfervatur, varietatem, de curandi methodo in univerfum quidem nihil dici poteft, juvat tamen quaedam particularia monita fubjicere. Sunt autem haec:

Ante omnia aeger eo dirigendus eft, ut exercitationem corporis in aere libero et puro fufcipiat. Sint vero exercitationum corporis varii gradus, ita quidem, ut a minoribus ad majores fenfim progrediaris, neque enim in minoribus fubfiftendum, neque ad vehementiores cito pergendum. Aer efto

tem-

temperatus matutinus, magis frigidus, quam calidus, magis humidus, quam ſiccus, nunquam tamen nebuloſus, ſed ventis nonnunquam agitatus et roridis plantarum perſpirantium particulis repletus, in his enim peculiaris eſt reficiendi vis, nervina quaſi. Imitatio horum auxiliorum in conclavibus, nimis coacta, vix ſufficit. Imbecilles poſt balnea mediocriter frigida initium exercitationis a frictionis vi faciant, cui ſubinde alia motus genera interponenda ſunt. Quemadmodum vero hunc motum maxime urgemus, ſic reliqua quoque auxilia in victu et potu, laxitati et debilitati opponenda, non oportere negligi, apparet.

Excretiones, quae arte moventur, iis contrariae ſint, quas materia, in morbo excernenda, ſibi elegit. Hae tamen caute excitandae ſunt et tum potiſſimum, cum vires aegri nondum penitus fractae ſunt. Sic forte lene vomitorium coercet diarrhoeam colliquativam, ut in aliis dyſenteriam, et urinae nimium profluvium ſudor coercet. Verum iſtae evacuationes regimine magis efficiantur et lenioribus tantum ſtimulantibus.

Roborantia non niſi poſt nutrientia debent propinari, atque in his roborantia diaetetica praeferenda cenſeo medicamentoſis. Horum autem delectus

caute

caute debet haberi. Praecipua ad hanc indicationem facientia medicamenta, martialia nempe et cortex peruvianus, peculiarem diſtinctionem admittunt, ut in mixtione, ſic in effectibus; hi tamen non niſi ex tentaminibus patent. Ita aliis alia v. c. vitriolum martis, alumen, ſantalum rubrum, rubia tinctorum, gummi laccae, immo tormentillae et biſtortae radix conveniunt, dummodo apta doſi et praeparatione aegri viribus accommodentur; haec omnia enim non ſolum cujusque aetati, ſed et temperamento conveniunt, inprimis cum vigor juvenilis, qui vel in ſenectute interdum ſupereſſe ſolet, omnem curationem adjuvet.





II.

Commentatio de natura variolarum earundemque noxis propter insitionem metuendis. *)

Legi in parte prima voluminis primi Adversariorum medico practicorum Responsum Inclytae Facultatis medicae Lipsiensis super insitionem variolarum, legi quoque in parte secunda ejusdem voluminis animadversiones in libellum Ill. DE HAHN, quo de ratione variolarum exponit, legi denique responsa quaedam Ill. DE HAHN ad D. LVDWIGII animadversiones de natura variolarum, contra novum eorum systema directas; sic autem perlegenti mihi denuo in mentem venerunt dubia super insitionem variolarum, quae olim, Lipsiae degens, cum auditoribus meis communicavi. Omnes fere, non solum medici, sed et alii eruditi et nobiles viri, et vel vulgus adeo insitionem variolarum clamant; pauci certe abhorrent et pauciores medici,

*) Communicata nobiscum est a Medico, in facienda medicina et chemia exercitatissimo, qui, licet a nobis in admittenda variolarum insitione dissentiat, dissensus tamen rationes ita exposuit, ut easdem judicio Lectorum nostrorum subjicere, haud dubitemus.

medici, immo pauciſſimi torrenti ſe opponunt. Complures libellos ad probandam inſitionem variolarum et commendandam confectos legi, inque nonnullis graves ſane rationes, quae inſitionem tueantur, reperi, ita tamen comparatas, ut, examine ſollicite inſtituto, multa dubia, eaque haud levia, contra eas moveri poſſent. Nondum ego rationibus, pro inſitione laudatis, commotus, in partes faventium deſcendere poſſum. Concedam, decurſum variolarum, arte productarum, mitiorem eſſe naturali; concedam, pauciores multo ſuccumbere; concedam denique, homines, in quibus variolae per artem excitatae ſunt, per totam vitam a naturalibus immunes manere; concedam haec omnia, tamen ego non moveor, licet nunquam haec concedi plane poſſe, perſuaſus ſim et multas rationes ſubeſſe, quae dictis omnino repugnent. Verum his immorari non placet; Theſis mea contra inſitionem variolarum haec eſto: *Poſteritati nocet variolarum inſitio.* Antequam vero rationem hujus afferti reddam, nonnulla primo de natura variolarum praemittere liceat.

Variolis non commode morbi nomen datur: objicias, ſymptomata morboſa v. g. convulſiones, vomitus, tormina, diarrhoeas variolas antecedere,

 horro-



horrorem, aeſtum, febrim eas comitari; hinc, cum ſimilia in aliis morbis obſerventur, morbi nomen promereri variolas, putes. Ad haec reſpondeo: foeminam concipientem ſaepe vomere, horrores, lipothymias etc. pati, gravidam anxietatibus, inſomniis, fame inſolita, aeſtu inſolito vexari, parturientem brevi ante partum non raro vomere, tormina, tremores, febriles motus ſaepe experiri, interdum adeo convelli et multa pati, dum foetum enititur, neque tamen conceptioni, graviditati et partui morbi nomen datur, nec dari poteſt. Dicas, in variolis, ut in morbis acutis certas periodos obſervari, eſſeque ſtadia eruptionis, inflammationis, ſuppurationis, deſquamationis et intra viginti unum diem totum morbum abſolvi. Reſpondeo; periodos morbi notionem non involvere, alias multi periodici ſtatus e. g. foeminarum menſtrua, tempus pubertatis, graviditas, per novem menſes durans, ſomni vigiliarumque viciſſitudines morbi eſſent. Objicias potiora, dicasque, variolis laborantes interdum perire, ſuperantes langueſcere et, ut febri decumbentes, lecta relinquere. Reſpondeo; ab initio et in vita ſimpliciſſima variolarum facies nec ita fuit. Eamus ad gentem ruſticam et talem quidem, quae a more urbium luxuriantium longe

aliena

aliena eſt, quae victu ſimplici vivit et labore corpus exercet, quaeque rara et fervida venere utitur, et progeniem ſanam, ſuccis laudabilibus turgidam, nullis parentum vitiis contaminatam, dat; attendamus quaeſo, ad ruſticae talis gentis varioloſos, nonne ſymptomata antecedentia vix ſymptomatum faciem habent? vomunt certe leniſſime, vel alvum ſolito paullo liquidiorem et crebriorem deponunt, inter ludendum maculae rubentes papulaeque exſurgunt, vix lecto detinentur, ſaepe in aere libero corpore, variolis pleno, verſantur, vix diaetam conſuetam mutare tenentur et variolis, absque ullo incommodo relicto, nullis medicamentis uſurpatis, liberantur, vegeti ſanique ſtatim ſub deſquamatione variolarum inter non varioloſos ſalientes. At hoc nunquam dixerim, inter omnes ruſticos talem faciem variolarum hodie conſpici. Qui enim non vivunt, ut priſca gens mortalium, quive corruptam urbium diaetam cum rurali commiſcent, inter illos certe bona variolarum indoles vix aut raro locum habet, immo quo propiores civitatibus ruſtici, eo magis corpora, urbanis ſimilia, ſub veſte cannabina pelleque ovilla latent. Hoc certum eſt, quo ſimplicius vitae genus, eo benignioris indolis variolae, eoque magis a morbo-



rum facie eaedem alienae ſunt. Hinc cum inter ruricolas reſpectu urbanorum ſimplicior ſemper diaeta et in univerſum corpora ſaniora, ſuccisque minus corruptis praedita, deprehendantur, ibi quoque genuinam et veram variolarum indolem diſquirendam eſſe, autumo. Cum mihi interdum contigerit, inter ruſticos variolas obſervare, inque urbe ego vivens, varioloſis tum ex plebe infima, tum etiam ex civibus honeſtis, medicum auxilium adferre, variolas ſane inter ruſticos et plebem infimam ſemper benigniores, quam inter cives molles obſervavi, immo et inter ipſos cives, honeſtos quidem, ſed quibus res anguſta domi fuit, multo benigniores plerumque, quam inter ditiores inveni. Obſervavi porro, varioloſos, quibus medicamenta vel nulla vel admodum pauca propinabantur, ſaepe melius ſe habuiſſe, quam eos, quibus ſaepe de die, ne dicam, omni hora, remedia ingurgitabantur. Cum demum epidemice graſſarentur variolae, multo pauciores inter plebem infimam et ruſticanos homines, quam inter cives ditiores et praeclaros ſuccubuiſſe, reperi. Haec ſedulo animadvertens, animo perſaepe volvi, quaenam forte ſit variolarum indoles, numque eae morbi ortum habeant, vel alio prorſus modo eveniant. Experientia docet, variolas plerum-

plerumque in infantili aetate, rarius in juvenili, et multo rarius in adultiori et ſenili ſtatu erumpere. Oſtendit quoque experientia, raro quemquam per totum vitae curſum a variolis immunem manere. Conſtat denique, variolas inter ruricolas, ſimpliciore diaeta utentes, plerumque benignas eſſe et absque ullo auxilio medico evaneſcere, ſique ſint, qui pereant, plerumque labem quandam, diu ante eruptionem variolarum latentem, habuiſſe, vel ob admota remedia, minus convenientia, ſuccubuiſſe. At vero, variolarum ſtatus, ſive morboſus ſive naturalis ſit dicendus, tamen ea, quae ex uſu rerum et experientia cognoveram, attentum me reddiderunt, quo perpenderem, anne per variolas *naturalis quaedam corpori contingat depuratio*, qua facta, boni laudabilesque ſucci, per totam vitam circumferendi, evolvantur, vel ortui eorundam anſa praebeatur. Fateor quidem, evolutionis ideam novam non eſſe, pluraque extare ſcripta, in quibus variolae ad evolutionis cujusdam ſtatum referuntur. Verum ad evolutionem vaſorum, per variolas praeſtandam, reſpexerunt Cll. Viri, neque ita ad evolutionem humorum, neque ad corporis quandam depurationem. Dico, per variolas ſanguinem humoresque corporis, praegreſſa quadam depuratio-

 ne,

ne, evolvi. Corpus infantum ſuccis mucidis acidisque ſcatet, ſanguisque eorum, indolem ſanguinis denſi et oleoſi non habet. Ab initio corpus non niſi merum viſcidum eſt, viſcidum tamen, ut ita dicam, organiſatum, cujus vaſa ſenſim ſenſimque evolvuntur, ita tamen, ut, ſi ad adoleſcentiam pervenerit, evolutio deſinat. Intra haec vaſa ſucci ſtatim ab initio maximam partem viſcidi circumferuntur, qui quidem de die in diem mutantur, aliamque faciem induunt, diu tamen et in homine, in lucem edito, viſcidi manent. Hoc quidem provido naturae conſilio fit: cum enim ex humoribus ſolidae partes augmentum capiant et ex iis conſtet corpus, ex quibus nutritur, cumque in tenello corpore ſolidae partes magis molles ſint, mollisque earum ſtatus requiratur, quo evolutio et elongatio neceſſaria bene ſuccedat, factum eſt, ut ſucci copioſiores viſcidi praeſto eſſent, ne alias ſubſtantiae nutrientis inopia ſenſibilitatis et irritabilitatis ſtatum peſſundet et, evolutione nimis cito praepedita, corpus vel pereat vel ocyſſime ad morbos disponatur. Itaque inſignem viſcidi copiam per totam humorum maſſam corporis infantilis diſtribuit natura, corpusque tenellum adeo conſtituit, ut quotidie etiam inſignis copia viſcidae ſubſtantiae per alimenta,



ta, corpori tenello adaequata et quidem per haec ipſa alimenta, qualia lac et farinacea, rite praeparata, praebent, multo plus, quam in adulta aetate generaretur. In tali nunc ſtatu non poteſt fieri, quin inſignis copia viſcidae ſubſtantiae ſemper adſit, totaque humorum maſſa, viſcido oppleta reperiatur. Ob copioſum hoc viſcidum fit omnino, ut ſanguis in infantili aetate nunquam eam denſitatem habeat, quae in adultiori aetate obſervatur. Cumque ex ſanguine, tanquam ex penu communi, omnes reliqui ſucci, ideoque etiam ſuccus nutritius ſeparentur, ſequitur exinde, ſuccum quoque nutritium in infantibus minus denſum, quam in adultioribus, ad ſolida apponi. Rem ita ſe habere, obſervationes, ritae inſtitutae, oſtendunt: gluten enim, ex partibus animalium juniorum, minus denſum minusque firmum eſt, quam ex adultioribus eductum. Requiritur autem in juniori aetate talis ſtatus, ſiquidem ex viſcido, ſeu glutine minus denſo ſolida generari debent, quae a vi cordis facile extendi ſe patiuntur. Si enim gluten nimis cito denſum fieret, vera elongatio fibrarum vix locum haberet, ſiquidem cordis vires reſiſtentiae illi impares eſſent, ut fieri ſolet, quando corpus ad incrementum pervenit; tunc enim, glutine denſiori facto




et ſolidorum robore inde aucto, talis per totum corpus enaſcitur reſiſtentia, ut, cum cordis impulſus vim hanc ſuperare nequeat, ſolida elongari deſinant. Exinde autem novus ſuboritur corporis ſtatus. Ceſſante enim fibrarum elongatione et robore ſolidorum aucto, vires cordis etiam augentur; cumque ſolida elongari ultro ſe non patiantur, ſanguinis humorumque denſitas ob actionem cordis vaſorumque auctam augetur, corpusque, in univerſum magis confirmatum, nunc ad varia in hac vita ſubeunda negotia, aptum fit. Cum denique denſitatis et firmitatis ſtatus in corpore de die in diem creſcat, tanta demum ſuboritur cordi reſiſtentia, ut, cum vincere eam nequeat, victum denique quieſcere incipiat et mors naturalis ſubſequatur.

Ex his cunctis, quae obſervationibus anatomico-phyſiologicis confirmata ſunt, patet, in juniori aetate corpus molli viſcido plenum eſſe, ita ut, quo propius origini corpus, eo viſcidius iſtud reperiatur et, quo idem remotius cernitur, eo minor viſcidi mollis copia deprehendatur. Licet autem viſcidum illud molle neceſſarium ſit, nimia tamen ejus copia obeſſe etiam poterit; ſiquidem corpus, quo diutius viſcido illo abundet, eo tardius ad acquirendum robur ſolidorum

et

et denſitatem humorum aptum fit. Ne autem hoc fiat, natura per varios modos ſe liberare conatur, ita tamen, ut, cum viſcidum hoc in aliis plus, in aliis minus adſit, ſeparatio haec in aliis citius, in aliis tardius ſuccedat. Praeter hoc viſcidum ad aliam quandam, magis activam, ſubſtantiam reſpiciendum eſt, quae partim in ipſo viſcido latet, partim absque arcta cohaeſione in corpore cum humoribus oberrat. Cum quaeritur, quaenam ſit illa ſubſtantia, cujus indolis eſſe ſoleat, eam ſane, in genere conſideratam, acre quid eſſe et acrimoniae nomen promereri, conſtat. Ut autem acrimonia iſta definiatur, ad experientiam et obſervationes primo recurrendum eſt. Docet experientia, infantes acido facillime obnoxios eſſe. Sudor eorum acidum ſpirat, halitus ex ore acidus exit, faeces virides acidum ſubeſſe docent, eaedemque acidum ſui foetorem ſpargunt. Si morbos infantum diſquiramus, plurimos, ne dicam omnes, in tenellis vel ab acido vel viſcido vel ab utraque cauſſa ſimul conjuncta provenire, reperimus. Si in cauſſas inquiramus, cur in infantibus acidum tam facile colligatur, res explicatu non difficilis eſt. Primo ad ventriculi actionem et humorum, inprimis bilis, efficaciam reſpiciamus. Ventriculi et inteſtinorum

norum actio in tenellis debilis est, bilis autem magis aquosa minusque oleosa et acris, quam in adultis, longeque minus efficax deprehenditur. Cibi itaque vix adeo subiguntur, ut indolem pristinam plane exuant. Victus carnosus solidior vix subigitur, sique mutationem aliquam patitur, corrumpitur potius, inque viscidum abit; victus jurulentus animalis prosapiae, si solus deglutitur, tantam quidem corruptionem, quantam solidior, non patitur, aliquantulum tamen corrumpitur, si quidem ob bilem aquosam non subigitur. Vegetabilis victus durior itidem non subigitur, inque viscidum crassum et acidum degenerat; tenuior, ut lac, pulmenta tenuiora, panis albus etc. magis quidem, quam ullus alius victus subigitur, nunquam tamen ita mutatur, ut indolem genuinam exuere prorsus possit. Tenellis interim optimum nutrimentum praebet, ex quo gluten nutriens facili negotio educitur, quod tamen a glutine adultiorum diversum est. Hoc enim in sanis vegetisque indolem gelatinosam et ammoniacalem, illud vero viscidam et acidam naturam habet. Si itaque victus in juniori aetate acidae indolis est acidumque in corpore transformari nequit, sique gluten, cum acido conjunctum, per corpus distribuitur, fieri aliter haud potest, quin acidum

acidum ſanguini humoribusque inhaereat. Inde quoque patet, ſubſtantiam illam, quam ſupra in genere activam dixi et acrem, ad acidi naturam vergere, quod vero, cum in corpore aliquam nihilominus mutationem patiatur, cum nullo alio cognito acido comparari poterit, ſed acidum ſingularis indolis, tamen acidum eſt. Quodſi nunc acidum hoc in corpore copioſe colligatur, perque corpus cum humoribus oberret, natura autem corporis humani acida non ſit, ſequitur omnino, acidum hoc absque noxa in corpore manere non poſſe. Huic rei optime proſpexit natura, quae cor irritabile nervosque ſenſiles fecit, ita, ut horum illiusque ope ea, quae contra naturam ſunt, quaeque ob irritantem indolem cordis nervorumque vires ſollicitant, vario modo evolvantur, perque varia colatoria expellantur. Atque haec experientia confirmare videtur. Sic acidum viſcidumque, in primis viis infantum copioſe collectum, has vias ita ſollicitat, ut partim per vomitum, partim per alvum egredi cogatur. Viſcidum acidumque ſubtilius in ſecundis viis hoſpitans, neque tamen intime cum ſanguine et humoribus commixtum, partim per vias urinarias, partim per cutim, ſcabie, achoribus aliisque vitiis cutaneis excitatis, evacuatur.

Licet



Licet autem hac ratione copia non exigua viſcidi acidique expellatur, nondum tamen per hos modos omne viſcidum et acidum, tenuius cumque humoribus et glutine intimius conjunctum, ejicitur, ſed in interioribus receſſibus latens, modo ſingulari evolvi ejicique debet, quo demum corpus, iſtis evacuatis, eam naturam acquirat, quae ad indolem gelatinoſam et ammoniacalem vergit. Evolutio haec viſcidi acidique ſubtilioris in aliis lento greſſu procedit, in aliis autem et quidem plurimis, motu ſubito ſatque conſpicuo fit, ita, ut ſubtilis illa materies viſcida, cum acido conjuncta, nunc evoluta, ad ſuperficiem corporis internam et externam propellatur, ibidemque ob acrem indolem ruborem et ob viſcidam naturam puſtulas efformet, quibus factis, eum ſtatum adeſſe cognoſcimus, qui variolarum nomen habet.

At enim vero, quot quantisque objectionibus expoſitum me video! Acida viſcidaque variolarum indoles obſtat. Sed, quaeſo, cur acidum ſpirent varioloſi? unde viſcidum in tenellis varioloſis cum faecibus, inque adultis cum ſaliva ejiciatur? Objiciant porro, confluentium variolarum naturam ad putridam indolem vergere, ideoque acidae naturae adverſari. Reſpondeo ad haec, confluentes variolas ob perverſum aegrotan-

tis

tis ſtatum, per varias vitae rationes inductum, a naturalibus variolis multum degenerare. Concedam tamen, variolas confluentes veras variolas eſſe; nihil obſtat. Putredo enim pro diverſa ſubſtantiarum indole diverſa eſt. Quid v. c. eſt oleum rancidum, tetrum peſſimumque foetorem ſpargens? nonne putreſcit oleum? et tamen ſtatus olei corruptus ab evoluto acido pendet. Perpendant porro aduerſarii, cur infantes, etiam tenerrimi, variolis ſuperatis, tot morbis, ab acido viſcidoque dependentibus, non perinde obnoxii ſint, atque ii, qui nondum variolis correpti fuerunt. Laborant quidem adhuc morbis, ab acido ſpontaneo viſcidoque provenientibus, horum tamen morborum vis tanta non eſt, quanta in iis deprehenditur, qui nondum varioloſi fuerunt. Objiciant inſuper adverſarii, materiem, puſtulis varioloſis contentam, ne minimum quidem ſignum acidi cujusdam praebere. Reſpondeo; muſtum ne minimam quidem particulam ſpirituoſi cujusdam ebriantis continere, et tamen per evolutionem, depurationem, attenuationem et transpoſitionem particularum attenuatarum ſpiritum praebere; acetum porro vel acerrimum, motu inteſtino ſuborto, alcalinam ſubſtantiam reddere. Quid quaeſo ſunt puſtulae varioloſae? Materiem continent, quae

per



per evolutionem et attenuationem ſubſtantiae acido-viſcidae, vitae virium ope praeſtitam, novum productum ſiſtit. Puſtulae varioloſae effectus morbi ſunt, nequaquam cauſſa. Aliud dubium moveant adverſarii, dicantque, ſi acidum ſubſit, alcalina certe remedia praeſtarent in variolis, quod tamen contra experientiam. Objectio pondus non habet. Si motus ad evolutionem materiae varioloſae neceſſarii in corpore ſuboriuntur, motusque evolutionis incipit, quid facient alcalina? Turbabunt motus, compeſcent evolutionem ſalutarem, aliosque motus reſolutorios et deſtructorios producent, corpusque ad interitum diſponent. Alia forte erit quaeſtio, anne alcalina leniſſima remedia, cum evacuantibus diu ante motum varioloſum cauta manu infantibus vel a primis incunabulis ſaepius propinata, prodeſſent, idque forte praeſtarent, ut corpus ſenſim eo diſponatur, ne unquam variolae prodeant. Concedent forſan adverſarii acidam variolarum cauſſam, concedent etiam materiem, variolis contentam, effectum eſſe, neque materiem ultro acidae indolis reperiri; obiicient vero, dicentque, ſi materies, puſtulis varioloſis contenta, acidae indolis non ſit et tamen motus varioloſi primi a motu materiae acido viſcidae inteſtino incipiant, alcali-

na



na autem remedia certo noceant, motumque impediant; unde, pergent adverſarii, materies varioloſa, ex puſtulis deprompta et per inſitionem cum aliis corporibus communicata variolas, producat? Victoriam certe clamabunt! Aſt, ne victoria ante triumphum! Dico, materiem varioloſam, puſtulis contentam, acidum mutatum ſiſtere, neque tamen affero, alcalinam naturam habere. Urgeant adverſarii quaeſtionem, cur tamen materies inſita variolas producat? Quid obſtat, cur non halituoſam materiae varioloſae indolem cum fermento comparemus? Flores faecesque cereviſiae multum a cereviſia differunt, hordei tamen decocto additae, motum in eo excitant inteſtinum, per quem cereviſia producitur. Licet autem fermentum hoc ab ipſa cereviſia differat, inter utramque tamen ſubſtantiam aliqua eſt affinitas, quae in ſubtiliſſima illa aereo inflammabili parte quaerenda eſt. Haec, in fermento in motu conſtituta, in rebus ad fermentationem aptis èidem ſubſtantiae aereo inflammabili ob affinitatem cito ſe jungit, inque motum ducit, ita, ut ejus ope omnes particulae, antea quietae, nunc moveantur, ex ſitu ſuo diducantur, attenuentur, motuque imminuto nova ratione conjungantur, inque ſubſtantiam ab ea, quam antea conſtituerunt, diverſam abeant. Anne ſimile quid




in variolis obſervetur? Examinemus materiem variolofam. Subſtantiam viſcidam, puri ſimilem, praebet, cui ſubtiliſſimum principium halituoſum ineſt. Fac vero, applicetur iſta materies levi vulnuſculo, in cute alius non varioloſi hominis facto; quid fiet? Halituoſa ſubſtantia, ab abſorbentibus vaſis ſuſcepta, cum humoribus commiſcetur, horumque ope per corpus circumducitur. Circumducta ſubſtantiam acido viſcidam, nondum evolutam, in motum ducit, haecque in motum ducta, cordis vaſorumque vires ad vividiorem motum excitat; eadem tunc his ipſis magis evolvitur, attenuatur, ab interioribus ſedibus removetur et ad peripheriam fertur, ibidemque, cum craſſiores partes viſcidae cum ſubtilioribus conjunctae ſint, ſtatim corpus non derelinquit, ſed in cute ſub cuticula figitur, quam in puſtulas elevat, ſenſim tamen ſenſimque exhalat, dum interim craſſiores viſcidae partes magis exſiccantur, ita, ut cum cuticula deſtructa demum decidant, corpusque depuratum et a ſingulari illa materia acido viſcida nunc liberatum relinquant.

Sed haec de natura variolarum dicta ſufficiant; accedo ad id, cujus gratia haec dicta ſunt. Examinanda nimirum quaeſtio eſt, num inſitio variolarum tantam utilitatem, ut vulgo putetur, praeſtet? Dicant

Dicant inſitionis fautores, homines, quibus per artem variolae excitantur, minus de vita periclitari, decurſum morbi leniorem eſſe, inoculatos a naturalibus immunes manere, multoque rarius, ac de naturalibus obſervetur, ſuccumbere et mori. Homines inoculatos minus de vita periclitari et raro quemquam mori, morbique decurſum leniorem eſſe, experientia confirmare videtur, omnes autem inoculatos a naturalibus immunes manere, nondum evictum eſt; ſiquidem manifeſta exempla paſſim et in noſtris quoque regionibus proſtant, quae doceant, inoculatos naturalibus nihilominus correptos fuiſſe variolis. Licet vero contra has rationes multum diſputare poſſem, in praeſenti tamen eas non tangam, ſed alia opponam.

Omnes mutationes periculoſae ſunt, et natura aegre fert inſolita quaeque. Periculum non ſemper praeſens tempus ſpectat, ſed futurum ſaepe. E. g. febre intermittente tertiana quis laborat; utitur aeger poſt unum alterumque paroxyſmum medicamento minus apto, adſtringente; profligatur febris, aeger nullum incommodum per menſes, per annum ſentit, ſenſim vero ſenſimque viſcerum infarctus ſuboritur et poſt ſex, ſeptem, pluresve annos in hydropem, omnem medelam reſpuentem,

conjicitur misereque perit. Anne profligatio febris, absque vitae periculo primo suscepta, tamen periculo plena fuerit, cum caussam morbi insanabilis mortisque inevitabilis, citius omnino accersitae, dederit? Inoculatio variolarum non absque concomitante malo est; idque eo majus est, quo minus cognoscitur. Non nocet inoculatio, eo tempore, dum suscipitur; nocebit futuris. Humorum crasin mutat, corporaque pessundat; inoculati, parentibus debiliores, progeniem dabunt vitiosiorem, haecque vix sexagesimum vitae annum attingere sibi spondeant, cum illi jam annos mosaicos attingere, frustra expectent. Ut tamen res clarior fiat, illustremus inoculationem per exempla, ex chemia et physica desumta. Mustum, egregium naturae productum, depuratione et evolutione indiget, ut nobilius diutiusve duraturum productum, vinum, praebeat. Si musto, blanda dulcissimaque indole donato, calor moderatus applicetur, aerisque liberior accessus concedatur, paulatim motus in interioribus suboritur, cujus ope partes musti constituentes attenuantur et evolvuntur, crassiores separantur, aliquae earum rursus uniuntur, ita, ut, motu intestino demum cessante, productum purius, laudabilius et durabilius, quam mustum fuit, obtineatur.

Fac

Fac vero, addatur musto fermentum, id est substantia particulis inflammabilibus et elasticis motuque intestino jam agitatis turgens! quid fiet? citius incipiet motus intestinus, celerius idem progredietur et certe vinum dabit, vix vero duos tresve annos duraturum et corruptioni multo facilius obnoxium, licet statim post fermentationem pungens satis satisque exhilarans appareat. Aliud exemplum addam. Pyra, pruna, mala etc. sub finem aestatis maturescunt et substantiam acido-dulcem, gustu gratissimam, viribusque solventibus, abstergentibus, lubricantibus, quin et nutrientibus egregiis praeditam largiuntur. Fac vero, in hybernaculo artis et caloris artificialis ope pyri, mali, pruni idque genus aliae arbores eo disponantur, ut mense januario, februario, martio, alioque maturos fructus praebeant, habitus certe externus idem fere erit, pulpamque dabunt succo plenam. Quid vero? succi certe aquosi magis sunt, particulis acido-dulcibus non abundant; caeterum iidem fructus vix unum duosve menses asservari poterunt, et cito satis corrumpuntur. Transferamus haec ad variolas seu potius ad corpus humanum, variolis obnoxium! Corpus hominis subjectum dabit, quod ad subeundum motum intestinum aptum est.



Homo ad mutationes ſubeundas natus vel a primis vitae horis mutationes patitur. Sanguis recens nati nondum ſanguinis adulti hominis craſin habet, ſed ſenſim per varias mutationes ad eam açquirendam diſponitur. Hae mutationes in omnibus non uno eodemque tempore fiunt, ſed pro varia idioſyncraſia mox citius, mox tardius eveniunt. Sic in nonnullis infantibus dentes quidam ante annum, in nonnullis non niſi anno praeterlapſo, erumpunt. Alii ante annum decimum quartum pubeſcunt, alii poſt eum etc. Certum autem eſt, per has ipſas mutationes, ſive eae citius, ſive tardius eveniant, corpus varie mutari et ad novum ſemper ſtatum diſponi. Idem iſtud ratione variolarum obſervatur. In aliis eae citius, in aliis tardius erumpunt, prout nimirum diſpoſitio corporis et humorum inprimis eſſe ſolet. In nonnullis certe eruptio iſta accelerari, in aliis forte retardari poterit, prout materiae illius diſpoſitio ſe habet. Interim certus quidam materiae illius gradus, ut ita dicam, maturitatis requiritur, ſi evolutio bene ſuccedere debeat. Adeſt certe in plerisque illa materies, ita, ut etiam ante ſpontaneam evolutionem per inſitionem aut commercium cum varioloſis evolvi poſſit. Si tamen ante maturitatis tempus evolvitur, corpus quidem


quidem ab iſta materie liberatur, vix vero tam purum, quam per ſpontaneam evolutionem fit, fieri videtur. Sicut enim per additum fermentum muſti fermentatio vinique generatio quidem acceleratur, neque tamen liquidum adeo purum ac durabile producitur, ita quoque per inſitionem materies quidem varioloſa evolvitur, vix vero corpus adeo purum reddi poterit. Cum enim ante materiae illius diſpoſitionem evolutio nimis cita excitetur, fieri aliter haud poteſt, quin plures particulae craſſiores, nondum maturatae relinquantur, per quas alius mixtionis humorum ſtatus producitur. Illuſtratur praeterea iſta res fermentatione muſti accelerata. Muſtum enim, cujus fermentatio acceleratur, majorem copiam faecum relinquit, quam illud, quod modo naturali et ſpontaneo fermentat. Quod ſi itaque particulae non retinendae in corpore relinquantur, haeque cum ſanguine miſceantur et conjungantur, ſicque alia ſanguinis mixtio producatur, ſolidae etiam partes, cum nutrimentum ex ſanguine accipiant, aliam indolem acquirent. Quid vero inde expectandum? anne ſtatus ſolidorum pejor et a naturali multum diverſus fit? Certe partes retentae, alias cum materie varioloſa per ipſam naturam evoluta evacuandae,



nunc cum ſanguine reliquisve humoribus mixtionem ingrediuntur, alia proinde et naturali non conſentanea humorum mixtio ſuboritur, ex quibus ſuccus gelatinoſus alius indolis ſecernitur et ad ſolida apponitur. Solidorum ergo ſtatus alius et a naturali diverſus producitur, hinc totum corpus mutatur, haecque ratione eo diſponitur, ut, cum partes viſcidae acres blandis corporis humani partibus ſolidis fluidisve intertextae fuerint, ad acrimonias ſubigendas et expellendas minus aptum ſit, injuriisque externis minus reſiſtat. Inde autem alia novaque mala metuenda ſunt. Forte poſteri de morbis plane novis, noſtro aevo ſane incognitis, olim tamen metuendis, conquerentur, cum novae nunc generentur cauſſae et tales omnino, quae, corpus debile jam magis defatigantes, ad citiorem mortem diſponent. At haec non ſolum, pejora adhuc metuenda ſunt. Cum enim parentes, per inoculationem jam debilitati minusque laudabilibus humoribus referti, ſobolem debiliorem vitioſioremque procreent, haecque, ſi inoculationem pateretur, progeniem multo vitioſiorem daret, natura certe humana ita mutaretur, ut plurimi hominum morbis plane ſingularibus antea vexatorum et debilitatorum, vix annum quinquageſimum attingere poſſent. Supererunt

tamen

tamen ſemper aliqui non inoculati homines, qui ſi cum inoculatis per conjugium conjungantur, progeniem non adeo quidem vitioſam dabunt, debiliorem tamen ſemper, quam illa, quae a parentibus utrisque non inoculatis producta fuit. Sana itaque ſemper valetudinariis mixta erunt, hoc tantum diſcrimine, ut poſt ſaecula, niſi inoculationis fervor ceſſet, multo plura corpora debiliora magisque morbida, quam noſtris his temporibus, obſervanda forent. Optandum ergo eſſet, ut inoculationis fautores experientiae ſuae non tantopere confidant. Fallax enim et hic ſaepe eſt experientia, praeſtatque ſemper, non, quod praeſens modo eſt, videre, ſed illa, quae futura ſunt, proſpicere. Perpendant, quaeſo, mala extimeſcenda! Primum, quod metuo, ad oſſa pertinet. Cum enim per variolas, hoc eſt, per motum, quem ipſa natura in evacuanda materie, ad maturitatem evecta, praeſtat, materies acido viſcida ejiciatur, per inoculatas autem eadem evacuatio incompleta fiat, multae partes materiae acido viſcidae relinquentur, quae, ad oſſa delata, mollitiem praeternaturalem eis conciliabit, immo pejora forte mala efficiens ulcera in iisdem producet. Eadem haec materies, incomplete evacuata, non ſolum oſſibus, ſed etiam nervis infenſa eſſe videtur, metusque eſt, ne in his



ipſis peculiares debilitates et motus convulſivos producat. Lymphae etiam nutrienti obeſſe poterit et metuendum eſt, ne plures inoculati, macie ſenſim confecti, citius pereant. Perpendant inſuper inoculationis fautores, anne inoculatorum infantes, ſi his ipſis variolae inoculentur, magis ac parentes in ipſo variolarum decurſu de vita periclitentur, ſiquidem corpora magis impura, quam illi, praebeant. Objectionem certe praevideo, quae ab ipſo communicato contagio deſumi poterit. Dicant nimirum inſitionis auctores, eadem mala, quae ſtatim recenſui, extimeſcenda eſſe, ſi variolae per ſuſceptum contagium ex ſolo commercio, absque inoculatione, producantur. Pondus quoddam habet haec objectio. Sed perpendant, quaeſo, diſcrimen, quod inter effluvia, corpori per halitum quaſi communicata et inter materiem, halituoſum noxium principium foventem, eſſe ſolet. Per hanc, vulnuſculo applicatam inque ſubſtantia ſuſceptam, mutationes inſolitae ſubito et uno quaſi impetu excitantur, per illa vero, non niſi per inhalantia vaſa ſuſcepta, ſenſim ſenſimque eaedem mutationes inſolitae producuntur; et concedo, mala etiam extimeſcenda eſſe, tanta autem, ut illa, non videri. At vero, concedo totum argumentum, et

optarem,

optarem, ut commercium ſemper inter varioloſos et variolis nondum correptos interdiceretur. Dicant quidem adverſarii, hoc ſaepe fieri non poſſe. Fieri tamen poteſt, reſpondeo. Si peſtis ſaevit, optimum auxilium ſeu conſilium in fuga conſiſtit. An peſtilentialis materies corpori applicanda, ut peſtis excitetur, quo poſtea, hac cum vitae periculo ſuperatâ, a peſte liberum maneat corpus? Aliam quaeſtionem forment inoculationis fautores, dicantque, cur ſaepe homines anno aetatis vigeſimo, trigeſimo et multo ſerius variolis naturalibus corripiantur et anne corpus interea multa ob diutius retentam materiem varioloſam patiatur? Reſponſio facillima eſt: forte materies varioloſa nondum in ejusmodi corporibus ob idioſyncraſiam in infantili aetate ad eum gradum maturitatis pervenit, ut evolvi poſſet, forte etiam eadem materies per varias, nobis incognitas, cauſſas impedita fuit, quo minus evolveretur. Quid? ſi in ejusmodi corporibus inoculatio diu ante tentata eſſet, anne corpus magis debilitatum foret? Urgeo, ejusmodi corpora nos potius de eradicandis variolis ſeu de immutanda materie varioloſâ, ne unquam prodeat, ſedulo admonere. Nonne melius eſſet, exhibere vel a prima jam infantia ea remedia, quae viſci-


dum

dum attenuent, acidumque ſenſim immutent ſenſimque evacuent, ne unquam variolae prodeant, ſed corpus paulatim ad acquirendum hominis ſani ſanguinem diſponatur? Aliam inſuper quaeſtionem forment inoculationis fautores, dicantque, cur ſaepe homines ad ſummum ſenium uſque per totam vitam a variolis immunes maneant, numque tales, cum tamen in corpore retineri videretur materies varioloſa, aliam ſanguinis craſin, quam in aliis reperiatur, habeant? Habere certe poſſunt; interim majus argumentum oppono, ſi dicam, forte in iisdem naturam ſenſim ſenſimque materiem varioloſam immutaſſe et modo plane inſenſibili expuliſſe, ita ut ſalvos poſtea eosdem redderet. Quid, ſi dicam, inoculationem fruſtra ſaepe tentatam fuiſſe? Nonne in ejusmodi corporibus materies varioloſa jam expulſa aut adeo imminuta eſſe videtur, ut motus excitari nequeant? Nonne inde argumentum iterum, de eradicanda potius, quam propaganda materie varioloſa deſumi poterit? Sed pedem hic figo et quemlibet inoculationis fautorem rogo, ut de futuris quoque cogitet, nec committat aliquid, ut aliquando dicendum ſit: Non putaram. Ego vero, de utilitate inoculationis nondum perſuaſus, vereor ſane, ne apophthegma illud

Stah-

Stahlianum ad insitionem variolarum omnino quadret: *In rebus quantumcunque dubiis & controversis, quod maxima sentientium pars amplectitur, plerumque error est.*



III.

De Belladonnae viribus et efficacia, in Epilepsia habituali, tentamen. Auctore Lic. I. E. GREDING.

Quanquam nonnullis visum est, aegros tantum, optimis remediis jam ad nauseam usque abusos, nullamque amplius curationem admittentes, in Ptochotropheum Waldheimense deferri; omniaque, vel eam quoque ob rationem, superflua, et prorsus inutilia esse, quod de optimorum licet remediorum, praesumtione hic nihil praestare volentium, efficacia, certi quid nunquam erui, vel definiri possit: quilibet tamen facile perspiciet, ejusmodi tentamina, ex Serenissimi, Optimique PRINCIPIS ELECTORIS Nostri benignissimo consilio, tam aegrorum ipsorum,

rum, quam boni publici caussa, subinde instituenda, nusquam melius, quam in aedibus nostris, ad eruendam veram medicamentorum vim, et efficaciam, institui, et ad finem usque desideratum perduci posse. Magnus enim, et septingentos jam attingens, hic nutriendorum numerus, quorum quingenti ad minimum, ob mentis insignem imbecillitatem, melancholiam, furorem, epilepsiam, vel alium quemdam chronicum, eumque utplurimum graviorem, morbum, huc delati sunt, decedentes vero, novis semper colonis, fere quotidie restituuntur, augenturque, copiam variorum, ad ejusmodi tentamina paratissimorum, hominum facile suppeditat. Horum plerique antea, ob egestatem, vel nullis remediis, vel certe incongruis, usi, convenientiore medicamentorum administratione, amissam saepenumero sanitatem, vel omnino, vel saltim quoad maximam partem, non ita difficulter recuperant; id quod haud rara, tam epilepticorum habitualium, quam melancholico-maniacorum, subinde pristinae sanitati restitutorum, jam optime, partim hic adhuc valentium, partim vero ad pristinos lares, laboresque reversorum, exempla, abunde testantur.

Si

Si loci porro, vitae generis, et consuetudinum, antea contractarum, mutatio, in allevandis his morbis, quidquam valet; naturalis certe Ptochotrophei, oppidique ipsius, in valle quidem brevi et angusta, sed ad alluentis Zschopae, rapidi fluminis, ripam siti, salubritas; aquarumque e montibus, vallem undique cingentibus, tam silvis et fruticetis, quam agris fertilibus, hortis, pascuisque, amoeno adspectu, undiquaque tectis, uberrima unda scaturientium, puritas; summumque munditiei, quod exteros etiam, spectandi gratia huc venientes, toties jam in admirationem abripuit, studium, instituendae curationi haud parum prodesse debent. Sic aerumnosa quoque, et a plerisque antehac victu duro, interdum vix protracta vita, cum liberaliore, ex vegetabilibus et animalibus optimi generis, cuilibet aegro, in aedibus nostris, ab ipso medico convenienter ordinandis, commutata, et cum corporis exercitio, in amoenissimi, aedes nostras proxime ambientis, et perquam spatiosi, horti cultura, obambulationibus, variisque aliis, sanitatis praecipue recuperandae gratia, pro lubitu, et virium ratione, institutis laboribus, conjuncta, depressos animos erigere, et languentes aegros, nulla re hic indigentes, a curis,

animum


 

animum difcruciantibus, liberos, et a rebus, animum irritantibus, remotos, non folum reficere, fed et fufcipiendam quandam curationem egregie juvare poteft. Et cum praeterea in comparandis, cuilibet neceffariis, optimisque remediis, nullis fumtibus parcatur, medicus quoque et chirurgus, in quotidiano aegrorum, iis utentium, examine, eorumdem effectus quam commodiffime annotare, et dijudicare poffunt. His etiam poteftas demortuorum cadavera, ad perfcrutandam morbi mortisque cauffam, pro lubitu incidendi, conceffa eft, quorum defcriptiones, jam a multis retro annis collectas, proximo forfitan hoc Adverfariorum Medico-Practicorum Volumine, partitis vicibus, exhibiturus fum.

De novo igitur, cum epilepticis praecipue qui nullo hactenus remedio allevari potuerant, inftituendo tentamine cogitanti mihi, Solanum lethale, belladonna μελανοκέρασον, feu Atropa LINNAEI dicta, vel ob fui famam in curando morfu canis rabidi, nuperrime celebratam, aliis facile praeferenda videbatur, cujus infufum aquofum, ante hos duodecim, et quod excurrit, annos, et ex eo tempore aliquoties, in cancro labii inferioris, uteri et mammarum vario fucceffu adhibueram;

ram;

ram; certiſſime perſuaſus, eventum, ſiniſteriorem quoque, ideo tamen medicinam facientibus non prorſus diſpliciturum, quod pericula ex aliorum infortuniis cognita, longe tutius ab aliis caveantur, proſperiorem vero, iisdem ſane eo gratiorem fore, quo minus parva etiam mitigatio, in morbis adeo diris, ab ullo artis perito, negligi ſoleat. Cum vero aegris infuſi loco, extractum et pulverem foliorum belladonnae, hic nullibi reperiendae, exhibere apud animum conſtituiſſem; extremo auguſto et ineunte ſeptembri anni 1769, ab admodum perito Henrico Godofredo Kieſsling, Werdavienſium Pharmacopoeo, plantam iſtic ſat copioſe creſcentem, colligendam, ſiccandam, exprimendam, ſuccumque leniſſimo igne ad extracti conſiſtentiam inſpiſſandum curavi. Optima tantum ſiccata folia, egregie viridia conſervans, ſuccum, e planta recente, foliis ſucculentis, floribus et baccis immaturis viridibus, quippe quae, ob praecedentis anni nimis frigidam, humidamque tempeſtatem, iſtic locorum, nequaquam ad maturitatem pervenerant, inſtructa, expreſſum, illico leni igne inſpiſſaverat. Hujus igitur extracti aeque, ac herbae ſiccatae, libra una inſtructus, ex humaniſſimi quoque LUDWIGII noſtri liberalitate, aliquam



ſiccatae hujus plantae copiam accepi, quam ſuperiore aeſtate, in horto ſuo collectam, ſolertiſſime ſiccandam curaverat; quamque pulveriſatam, ſaccharoque mixtam duobus epilepticis (no. 19. 23.) et tribus epileptico-maniacis (no. 17. 20. 22.) a d. 24. decembris usque ad d. 30. martii, ſolam, dein vero pulverem foliorum belladonnae Werdavienſis, tandemque a d. 15. maji 1770. pillulas iisdem exhibui.

Sed ne aegris ab initio ſtatim nimia forſitan doſi nocerem, tam pulverem, quam extractum, tantae ſacchari quantitati permiſcui, ut in partes, granum dimidium belladonnae continentes, ter de die exhibendas, commode dividi poſſet, quas ad ſesqui granum ſenſim auxi. Quam cum ſine moleſtia ferrent, reliquo belladonnae extracto, unciarum quindecim et drachmae unius pondere, uncias octo pulveris foliorum admiſcui, pillularumque, unciarum viginti duarum cum ſemiſſe, hinc obtentarum, grani unius pondere, reliquorum cuilibet ſub initium tres, dein vero ſenſim plures et quibusdam (no. 11. et 18.) octo, novem, quin et (no. 18.) decem, ſpatio viginti quatuor horarum, partitis vicibus, exhibui a).

Quid

a) Si quis autem doſin trium vel quatuor granorum, nimiam eſſe cenſeat, is perpendat quaeſo, Cl. MARTEAU, feminae,




Quid vero in epilepſia habituali praeſtiterit, oſtendent

1) Juvenis, J. A. S. viginti novem annorum, epilepſia ab infantia laborans, anno autem elapſo, ex quo carcere detinebatur, eadem crebrius vehementiusque correptus, in aedibus noſtris per novem menſes ab illa immunis, menſe decembri eadem denuo ſaepius et praeſertim nocte d. 28. decembris 1769, vehementer excruciatus, d. 30. decembris belladonna uti coepit, cujus ad d. 6. martii 1770. drachmas quatuor cum dimidia ſenſim deglutivit. Die 1. januarii poſt levem noctu acceſſionem, frigori febrili ſimilem, de corporis caloribus, nonnunquam ſubito accedentibus, crebra urinae miſſione et membrorum laſſitudine conquerens, ſequente nocte binas ejusmodi paulo fortiores, cum vertigine, et ſiti expertus eſt. Die 3. januarii ſponte vomens et vertiginoſus parum volatici caloris, et d. 5. binas ejusmodi admodum leves

 acceſ-

feminae, de ſcirrho mammae dolente conquerenti, tandem undecim belladonnae grana infuſi ſpirituoſi et Cl. COLLIGNON, drachmam integram quotidie, infuſi aquoſi forma, moniali virgini, cancro mammarum laboranti, tuto et cum levamine, exhibuiſſe. Vid. Journal de Medecine par Mſr. VANDERMONDE. tom. XIV. janvier 1761. pag. 18. 22. ſeq.

acceſſiones cum imminuta vertigine, copioſiore vero urina et alvo conſueto laxiore percepit. Die 7. januarii notabilem omnium membrorum tremorem, qui duas horas durabat, cum inſigni oculorum hebetudine ſentienti, ſequente die, poſt brachiorum concutientes ſpasmos, oculorum etiam dolor ardorque acceſſit, quae omnia tamen d. 12. januarii penitus evanuerunt. Die 15. ſequentibusque magnam urinae copiam reddidit et d. 18. januarii ſubito clamando per breve tempus manibus pedibusque tremuit. Hinc cibos optime adpetens, valensque d. 4. februarii ſeqq. poſt ventris tormina continua, die 6. ſeqq. crebriore diarrhoea cum ciborum adpetitu imminuto laboravit; hinc belladonnae loco, aliis remediis adjutus, a d. 14. februarii demum ad d. 6. martii usque, eadem denuo uſus eſt. Die 22. februarii autem de artuum tremore et laſſitudine conquerens, a d. 28. februarii quolibet mane per tres horas frigus quaſi febrile cum ſubſequente parvo, vel potius nullo calore et continuante laſſitudine, ſolo d. 5. martii excepto, ſenſit. Hinc d. 7. martii belladonnae loco, cortice Peruviano aliisque adjutus, ab epilepſia quidem ad hunc usque diem prorſus immunis, qualibet tamen hebdomade bis vel ter, oriente praeſertim ſole, leviſſimum, brevique de-

ſinentem

ſinentem capitis calorem, cum leni quadam vertigine, ad finem maji usque percepit. Nunc vero bene valens, rariſſime tantum, matutino praeſertim tempore, poſt momentaneos capitis dolores punctorios, parvo adhuc, citiſſimeque deſinente capitis tremore, adficitur.

2) A. M. Z. b) ex aliquo rurſus tempore epilepſia crebrius et vehementius adflicta, a d. 22. januarii ad d. 4. aprilis belladonnae drachmas quinque cum ſcrupulis duobus ſenſim deglutivit. Die 25 et 26. crebriorem nauſeam et vomituritiones ſentiens, d. 27. januarii a leni emetico nullos vomitus, ſed inſignem alvi evacuationem experta, circa veſperam et ſequentis diei principio epilepſia ter ſat vehementer corripiebatur. Die 29. januarii ab epilepſia quaſi in glomerem contracta, facie admodum palleſcens, de inſigni vertigine conqueſta eſt. Hinc leviores tantum inſultus obſervabantur. Poſt menſtruorum, a d. 20. ad d. 22. februarii, fluxum fortiter convellebatur, id quod etiam a d. 2. martii ſequentibusque crebrius accidit. A d. 14. martii per quosdam dies de oculorum hebetudine conqueſta, menſtrua a d. 18. ad d. 20. martii rite experie-

b) Haec Stramonii extracto uſa, Adverſar. hor. Medic. Pract. P. II. pag. 305. no. 33. reperitur.

periebatur. Nauſeam, d. 21. martii praeſentem, lene emeticum ſuſtulit. Cum vero epilepſiae paroxyſmis denuo et crebrius et vehementius corriperetur, d. 4. aprilis e continuantium numero penitus excluſa eſt.

3) Femina quadraginta circiter annorum c) poſt iram d. 3. et 4. januarii vehementer convulſa, ex eo tempore usque ad d. 25. aprilis parum ſupra drachmas ſeptem pillularum belladonnae ſenſim deglutivit. Sequente die jam alvum, conſueto laxiorem, d. 12. januarii oculorum hebetudinem et a d. 17. ad d. 24. januarii menſtruum fluxum experiebatur. Lateris dolorem d. 3. februarii ſequentibusque, per vices accedentem, alvus conſueto laxior plerumque ſuſtulit. Die 7. februarii parum ſalivare incipiens, d. 14. februarii epilepſiae paroxyſmo, menſtruis a d. 12. ad d. 19. praeſentibus, ſat graviter laboravit. Die 26. februarii de frontis, lateris ſiniſtri et coxendicis dolore conquerens, a d. 8. usque ad d. 15. martii, menſtruis praeſentibus, epilepſiae inſultibus, plus minus vehementibus obnoxia, d. 30 martii poſt nauſeam, vertiginem, faciei, oculo-

c) Eadem, quae loco b) citato pag. 286. ſub no. 25. deſcripta eſt.

rumque ruborem cum febricula conjunctum, postero die mane catamenia et vesperi vehementem epilepsiae paroxysmum experta est. Ex eo tempore vero, menstruis licet d. 9. aprilis cessantibus, bene valuit usque ad d. 25. aprilis, quo epilepsia aliquoties quam vehementissime cum furore quodam correpta cadens, caput, in sinistri bregmatis anteriore parte allidendo, ad cranium usque laesum reportavit; quam ob rationem quoque e continuantium numero excludebatur. Die 6. maji post febriculam dextrum faciei latus subito cum colli glandulis intumuit adeo, ut d. 8. maji palpebrae clausae manerent; vulnus vero ad cranium usque incisum, consueta ratione mediocriter suppurando, d. 10. maji plane clausum, ipsaque d. 17. maji a faciei etiam tumore et glandularum inflatione penitus restituta erat. Quod vero ad epilepsiam attinet, ex eo tempore nullam ejus imminutionem potui observare.

4) J. C. R. d) juvenis viginti quatuor annorum, post vehementes d. 15. et 16. decembris epilepsiae paroxysmos, quotidie leviores ejusmodi insultus, cum insigni capitis calore, deliriis, praecordiorum

d) Idem l. cit. pag. 278. no. 20. invenitur.



anxietate et ſiti, expertus erat, cum d. 26. decembris 1769. belladonna uti inciperet, cujus ad d. 30. martii drachmas ſeptem cum ſcrupulo uno conſumſit. Faciei rubor, capitis calor et deliria, brevi imminuta, d. 25. decembris prorſus ceſſabant, profluente largiore urina et rerum ſolummodo vacillatione quadam ante oculos continuante. A d. 28. decembris de capitis dolore conquerenti, d. 31. ventris tormina, phlogoſes, brevi tranſeuntes, cum ciborum adpetitu imminuto et reſpiratione paulo difficiliori jungebantur, quibus d. 5. januarii oculi dextri dolor, poſteaque deglutitio parum impedita accedebat, ad d. 15. januarii plus minus continuantibus. D. 16. januarii delirium levisque furor, cum ciborum adpetitu vario et d. 24. januarii ingens capitis calor per vices ad d. 7. februarii continuans obſervabatur. Die 12. februarii deliria denuo reverſa, ad d. 18. plus minus continuarunt, ex eo tempore vero bene valuit. A d. 6. usque ad d. 27. martii de ſaliva viſcida, tantum in faucibus ſubinde collecta, conquerens, hac nocte vehemente epilepſiae paroxyſmo, per tres horae quadrantes, cum inſequente inſania, correptus, d. 30. martii e continuantium numero excluſus, ad d. 10. aprilis, per intervalla plus minus inſaniit. Hinc modo de

capitis

capitis et oculorum, modo de faucium dolore conqueſtus, d. 19. aprilis copioſam pituitam exſcreans, d. 20. longe majorem ejusdem copiam evomuit, ſalivatione cum rerum ante oculos obverſantium vacillatione ſat diu continuante. Poſt vehementem denuo d. 7. maji epilepſiae paroxyſmum, per quosdam dies inſaniens, in eundem tandem ſtatum, quo ante hanc coeptam curationem fuerat, recidit.

5) Virgini, quae poſt ſtramonii uſum e) epilepſia habituali auctumno 1769, licet bene ſemper menſtruata, quotidie aliquoties adflicta, exeunte novembri de ſanguinis commotionibus, praecordiorumque anxietatibus conquerebatur, mens nequaquam conſtabat, nec facile quidpiam in memoriam revocare, nec interrogata apte reſpondere poterat. Praecordiorum anxietates d. 4. decembris adeo augebantur, ut nocte proxima ſibi moriendum eſſe, perſuaſiſſimum haberet, cum veſpera belladonna uti inciperet, cujus ad d. 13. martii 1770. drachmas ſeptem cum dimidia ſenſim, deductis menſtruorum feriis, octoginta quinque diebus deglutivit. Ceſſabant quidem commemoratae anxietates haud ita multo poſt, reminiſcentia vero non

e) Cujus deſcriptio l. c. pag. 292. no. 28. legitur.




nisi cum menstruorum fluxu d. 13. decembris rite accedente, plenarie revertebatur, quae tamen a d. 23-26. decembris iterum insigniter perturbabatur. Die 7. decembris urinae largior profluxus, dieque 12. decembris oculorum, quasi ab inspersis arenulis, pressio, ad menstruorum profluvium continuans observabatur. Die 28. decembris sequentibusque, nec non d. 6. et 7. januarii oculorum hebetudinem sentiens, d. 3. januarii jam consueto pallidior, magisque siticulosa erat, iterumque mentis cogitata verbis exprimere nesciebat. Menstruorum negotio a d. 11-14. januarii sine incommodo peracto, d. 24. januarii demum duos vehementissimos epilepsiae paroxysmos sustinuit. Die 5. februarii post lenem morbi insultum sat diu subridens, dieque 7. praeter consuetudinem varia incongrua per breve tempus loquens, menstrua a die 10. ad d. 13. februarii tertium experta est. Die 18. post meridiem et vesperi ter sponte evomuit ingesta, lene emeticum, d. 20. februarii sumtum, bis insuper pituitam vomendo evacuavit. Die 22. februarii pallidior, ciborum adpetitu majore gavisa est, quem vero d. 25. februarii epilepsiae paroysmus vehementior, cum foecum alvinarum, urinaeque excretione, dieque 27. februarii risus prae-

praeter consuetudinem frequentior, cum mentis notabili perturbatione exceperunt. Oculorum hebetudinem d. 1. martii reversam, d. 3. levis epilepsiae insultus, cum capitis antrorsum dependentis vehementi, in utrumque latus, quassatione, et d. 4. martii similis cum dentium stridore et diuturniore risu insecutus est. Paroxysmos vero, ex aliquo tempore, ab hora tertia ad quartam matutinam, semper accedentes d. 7. martii belladonnae loco cortex Peruvianus, exhibitus, non nisi per tres continuos dies compescere valuit. Post menstruorum enim d. 9. martii accessum, d. 10. sat fortis paroxysmus revertebatur. Cessantibus iisdem, d. 12. martii ad belladonnam regrediens, sequente nocte quatuor sat vehementes epilepsiae paroxysmos experta, et d. 13. martii e continuantium numero prorsus exclusa, toto hoc curationis tempore, non nisi a die 17-24. januarii ab epilepsia immunis, jam in eodem, quo antea statu, miserandam vitam agere pergit.

6) E. R. L. viginti circiter annorum, quae ab hyosciamo f) breve, a stramonio g) vero magis con-

f) l. c. pag. 90. no. 25.
g) ibid. pag. 296. no. 30.

conſpicuum, longiusque durans, morbi levamen experta erat, extremo novembri 1769 epilepſia iterum et crebrius et vehementius corripi coepit. Hinc a d. 4. decembris uſque ad d. 3. aprilis 1770. eidem integram fere belladonnae unciam exhibui, quae, per totum paene curationis decurſum, largum ſudorem, et a d. 13. decembris copioſum urinae profluvium excitavit. Proximo d. 5. decembris a meridie de ſpaſmo ſiniſtri brachii dorſique, admodum dolente, circa veſperam in crura ſe extendente, conqueſta eſt, quem, intermedia nocte, epilepſiae paroxyſmus vehemens, cum duobus debilioribus, et nocte proxima, fluxus menſtruus, d. 10. decembris deſinens, cum largo ſudore, exceperunt. Poſt leviſſimos tantum d. 11. et 13. decembris artuum ſpaſmos, levesque d. 19. faucium dolores, ventris quaedam tormina, cum inſequente leni diarrhoea, ſenſit, ad d. 22. ſaepius revertentia. Auctum vero ſudorem et urinae profluvium d. 28. decembris ſcabiei eruptio, circa pedum talcolos, inſequebatur, quam die ſequente jam adeo leves, ſolo clamore tantum tranſeuntes, inſultus exceperunt, ut, quod antea nunquam factum erat, omnium, quae interea ipſi acciderant, recordaretur. Levis ſimul accedens diarrhoea, hoc et ſequente die, ſudorem

quodam-

modo imminuit, postea largiter iterum, cum urinae profluvio, continuantem. Scabie sensim ad genua proserpente, d. 4. januarii jam longe pacatior, mentisque magis compos, d. 11. januarii media nocte vehementem singultum, d. 16. insignem capitis quassationem, et postero die clamorem solummodo, cum urinae inscio profluvio, quinquies experta est. Fluentibus a d. 21. ad 25. menstruis, d. 22. januarii justo loquacior, dieque 25, post menstruorum cessationem, bis tantum clamavit subsequente tussi. Die 30. januarii iterum loquacior salaciorque, d. 31. a meridie aliquoties clamando humi procumbens, momento citius surrexit, viridemque pituitam ex ore stillavit; dato igitur leni emetico, d. 2. februarii vomuit; nihilominus tamen nausea, subiti clamores cum corporis vacillatione, integra tamen reminiscentia, quotidie semper aliquoties, cum labris longam salivam manantibus, continuarunt. Hinc d. 5. februarii iterum, dieque 13. tertium emetico dato, ventriculum exoneravi. Die 16. et 17. februarii largiter sudavit; cum vero d. 18. dentium stridores cum salivae copioso effluxu denuo experiretur, d. 20. februarii leni iterum emetico sumto, quinquies pituitam flavam evomuit. Post duos d. 21. februarii levissimos

insultus



insultus parum singultivit, levissimamque d. 5. martii corporis circumgyrationem menstrua exceperunt, d. 10. martii cessantia. Scabie tunc manus totumque corpus occupante, d. 18. martii demum levem, et media nocte fortiorem, epilepsiae insultum experta est. Levissimum emeticum d. 20. martii tres vomitus tresque alvi evacuationes excitavit, id quod d. 25. martii post tres vehementissimos epilepsiae paroxysmos, eodem fere cum effectu repetebatur. Cum vero d. 2. aprilis a meridie, scabie licet in dies magis propullulante, ter insuper epilepsia quam vehementissime corriperetur, e continuantium numero exclusa, jam aliis remediis utens, vehementibus tamen, quin et vehementissimis epilepsiae paroxysmis, quos menstrua, a d. 27. aprilis ad d. 3. maji, largissime promanantia, perparum mitigare valebant, saepius correpta, mense junio demum, scabie undique scatens, priori epilepticorum insultuum lenitati, raritatique restituta est.

7) J. M. S. triginta quinque annorum h), d. 2. januarii 1770. bis vehementer convulsus cum sub-

h) Idem l. c. p. 322. no. 42. erronee C. G. S. vir, quadraginta, et quod excurrit, annorum, dictus est.

ſubſequente inſania, ad d. 4. januarii usque nihil deguſtaverat, hoc die autem belladonnae pilulis, quarum ad d. 1. junii unciam unam conſumſit, uti incipiens, bene dormivit, pauloque pacatior factus cibos bene adpetiit. Sequente nocte delirans, interdiu pacatus, urinam crebro dimiſit, delirio, ad d. 14. januarii, plus minus continuante. Poſt mediocrem d. 10. et 12. januarii longeque vehementiorem d. 13. epilepſiae paroxyſmum, ſatis pacatus, pilulas tamen ſaepius reſpuit. Die 22. januarii levis inſultus cum ſubſequente diuturniore ſomno, et d. 28. januarii paullo vehementior cum clamore aderant. Die 7. februarii parum inſaniens, pilulasque ſaepius reſpuens, d. 19. et 20. februarii epilepſia denuo aliquoties tentatus, per intervalla iterum inſaniit. Cum vero d. 3. et 11. martii levi iterum epilepſiae inſultu adficeretur, et ſequente die victum contemneret, d. 30. martii lene vomitorium ſexies alvum laxam cievit, et ex eo tempore pacatiſſimus, aſt paullo languidior, pallidusque viſus eſt. Poſt leviſſimos d. 18. 28. martii d. 6. 15. 20. et 26. aprilis d. 6. 7. et 27. maji inſultus bene valuit, ita tamen, ut interdum per brevia intervalla paululum inſaniret, de reliquo autem ad hunc usque diem, ſe longe melius,

lius, quam ante coeptam hanc curationem, haberet.

8) Nobilis, e generosa stirpe oriundus, juvenis, viginti et amplius annorum, hyosciami extracto i) quondam usus, a catalepseos et epilepsiae paroxysmis, quos capitis dolor, manuumque tremor sudorque, cum praecordiorum anxietatibus, annunciabant, quolibet mense semel, vel aliquoties, vehementer correptus, jam insignem mentis hebetudinem contraxerat. Cum igitur d. 8. 9. et 10. januarii 1770. ejusmodi paroxysmis quater sat vehementer laborasset, a d. 26. januarii usque ad d. 5. julii drachmas novem belladonnae sensim deglutivit. Die 27. januarii jam de parva oculorum hebetudine, et oris siccitate conquerens, levia ventris tormina sensit, sequenti tempore saepius revertentia. Perpetuus fere quondam manuum tremor sudorque d. 1. februarii jam insigniter, et post levissimum d. 3. februarii insultum, magis imminutus, laxante d. 1. martii sumto, demum per vices revertebatur. Die 15. februarii levis capitis dolor, sequente die, scapulas occupaverat. Levem autem, post iram d. 3. et 4. martii, capitis dolorem, cum prae-

i) vid. l. c. pag. 100. no. 33.

praecordiorum anxietate, d. 5. mediocris, d. 6. sex leves cum vehemente, et d. 7. martii denuo mediocris epilepsiae paroxysmus, cum summa anxietate, et lateris sinistri dolore, exceperunt. Sanguis d. 9. martii e brachio missus, densus, tenuique crusta inflammatoria obductus, conspiciebatur. Saporem oris depravatum, lene emeticum, iteratis vicibus, d. 11. 13. et 15. martii propinatum, incredibilem pituitae copiam, tam superius, quam inferius evacuando, prorsus sustulit. Parva tamen anxietas a d. 20. ad d. 30. martii per intervalla revertebatur, manuumque d. 6. aprilis moderatum sudorem, d. 7. levis iterum insultus excepit. Die 17. aprilis vero, bis sponte vomens, et sequente insuper die ructus putridos sentiens, d. 19. lene denuo vomitorium cum levamine sumsit, id quod etiam d. 16. maji eandem fere ob caussam eodemque cum successu repetebatur. Levissimos d. 22. aprilis et d. 19. maji insultus, solo manuum tremore, oculorumque motu perverso brevissime transeuntes, d. 20. maji paulo fortior cum subsequente salivatione mediocri sat diu continuante, et d. 21. maji levis iterum insultus excepit. Die 29. aprilis sequentibusque, alvum consueto laxiorem, d. 4. et 5. junii levissimum capitis dolorem, et die



14. crebros urinam mittendi ſtimulos ſentiens, d. 16. junii epilepſiam, ex ſignis imminentem, leni vomitorio illico ſumto, feliciter avertere potuit, ad hunc usque diem, ab epilepſia liber, egregie valens.

9) M. E. R. k) ante et poſt menſtruorum fluxum, d. 11. januarii 1770. ceſſantem, epilepſiae paroxyſmis aliquoties ſat vehementer correpta, die 13. januarii belladonna uti coepit, cujus ad d. 13. maji drachmas novem cum dimidia ſenſim deglutivit. Die 14. et 19. januarii bis leviſſimis acceſſionibus adflicta, d. 20. januarii ventris dolorem obtuſum, leviſſimam diarrhoeam, vertiginem, et aurium ſuſurros, d. 21. continuantes, nec non venti cujusdam, ex aure ſiniſtra, exploſionem ſenſit. Diebus 22. 24. 27. 29. januarii d. 1. 2. 6. nec non, durante catameniorum fluxu, d. 8. et 9. vt et d. 16-18. et 24. februarii leviſſimis inſultibus tentata, d. 17. 20. et 26. februarii, ter leni vomitorio ſumto, magnam bilis et pituitae copiam evomuit. Cum vero ex eo tempore ad d. 13. maji, quo menſtrua quartum regulariter accedebant, nullam fere morbi allevationem perſpicerem, e continuan-

k) Eadem, quae l. cit. p. 289. no. 27. deprehenditur.

tinuantium numero exclusa, ad hunc usque diem, in eodem propemodum, quo antea fuit, statu obambulat.

10) A. R. a stramonii extracto l) superiori anno allevata, mense octobri ab epilepsia denuo, quolibet die aliquoties, sat vehementer corripiebatur; etsi igitur paroxysmorum vehementia frequentiaque, mense novembri, quodammodo remiserat, raro tamen noctem sine insultibus quibusdam, et interdum sat vehementibus, transigere poterat. Haec a d. 4. decembris 1769. usque ad d. 4. aprilis 1770. belladonnae sensim parum supra drachmas decem deglutiens, d. 8. et 9. decembris ructus, dieque 12. sequentibusque mediocrem sudorem, et d. 17. decembris meliorem ciborum adpetitum sensit. Sudore a d. 20. decembris sensim imminuto, die 30. sitis increvit, cum decrescente ciborum adpetentia, dieque 31. somno consueto diutius indulsit. Sudore hinc mediocri, cum siti, semper continuantibus, d. 16. januarii vehementissimo epilepsiae paroxysmo correpta, dieque 23. et 24. januarii perparum degustans, parumque sudans, de capitis dolore conquesta est; d. 25. januarii vero victu

l) Vid. loc. cit. pag. 281. no. 22.




rurſus egregie delectabatur. Die 4. 5. et 11. februarii quolibet die vehementem epilepſiae paroxyſmum ſuſtinens, dieque 20. februarii valde iterum ſitiens, ad d. 26. februarii quotidie levioribus quibusdam inſultibus tentata, d. 27. ſequentibusque, longe copioſiore ſudore adficiebatur. Poſt vehementem d. 4. martii epilepſiae paroxyſmum, et raucitatem d. 6. martii brevi tranſeuntem, ob crebriores a d. 11 - 14. martii epilepſiae inſultus, lene emeticum, magno cum levamine propinatum, d. 20. martii, eandem ob cauſſam, pari cum ſucceſſu, repetebatur. Cum vero leviores inſultus ex eo tempore crebrius reverterentur, illaque d. 3. aprilis, poſt meridiem et veſperi, epilepſia bis quam vehementiſſime corriperetur, poſtero die e continuantium numero excluſa, tandem in eundem, quo antea fuerat, ſtatum relapſa eſt.

11) I. G. B. qui anno aetatis tertio ab ictu fortiore oculi ſiniſtri uſum viſumque penitus amiſerat, puer, ſtipem mendicans, ab alio, ſpiritu frumenti fortiſſimo, ſumme inebriatus, ab epilepſia primum quam vehementiſſime convulſus eſt. Adoleſcens autem, decimum ſextum annum agens, in aedibus noſtris, eadem ſaepius, praeſertim nocte, et quam diutiſſime, quolibet ſexto vel octavo die vehemen-

ter,

ter, cum insequente notabili, per tempus quoddam, stoliditate, vexatus, d. 4. decembris 1769. ejusmodi paroxysmo bis laboraverat, cum illa ipsa vespera belladonna uti inciperet, cujus ad d. 21. martii drachmas decem cum scrupulis duobus deglutivit. Die 12. et 13. decembris leves tantum insultus, frigori febrili similes, cum pectoris dolore punctorio, et majore stupiditate conjuncti, observabantur. Hinc, post levem d. 18. decembris diarrhoeam, parum sudavit, bene cibos adpetiit, multumque urinae dimisit. Sudore hinc parum aucto, d. 22. decembris mentis serenitas rediit, die 26. vero, post leviorem, frigori febrili similem, insultum, per dimidiam horam amens cubiculum pererravit, dein, perseverante modico sudore, mentis magis compos, a d. 20. januarii ad d. 2. februarii, quo denuo ejusmodi horrore corripiebatur, bene valuit. Die 5. februarii levi diarrhoea, brevi desinente, laboravit. A d. 27. februarii autem, post ejusmodi horrorem, aliquamdiu iterum, et d. 2. nec non d. 6. martii per plures horas prorsus amens relictus, d. 7. ventris torminibus, brevi tamen cessantibus, adflictus, nondum prorsus resipuerat, cum d. 12. martii epilepsia rursus vehementer corriperetur. Granis igitur quinque radicis ipe-



cacuanhae, d. 13. martii deglutitis, quinquies vomuit, et quater alvum depofuit cum levamine; a d. 15. martii autem epilepfia fere quotidie femel confueto vehementius vexatus, belladonnae loco aliis remediis adjuvabatur. Quamvis igitur lene vomitorium, ob biliofos vomitus, d. 24. et 29. martii fua fponte ortos, d. 30. propinatum, fepties infuper, pituitam vifcidam viridefcentem, evacuavit, nihilominus tamen, tam epilepfiae paroxyfmi, quam mentis ftupiditas, in dies increverunt. Die 3. aprilis tam capite, quam toto reliquo corpore, in finiftrum latus inclinatus, et finiftrorfum quafi et retrorfum tractus, confpiciebatur, vix incedere, corpusque fuftentare, nec quidquam cernere, valens: pupilla enim oculi dextri maxime dilatata, exiguam fefe contrahendi facultatem retinuerat. Facies faepenumero pallidiffima, momento citius rubore fuffufa, frontem calidam, et genas frigidas exhibuit. Toto finiftro latere, et praefertim brachio crureque, prorfus paralytici, crus dextrum, durantibus epilepfiae paroxyfmis, in dies non minus vehementia, quam frequentia increfcentibus, femper, cum oris angulo dextro extrorfum trahebatur, cum interea ftupidiffimus ciborum nihil adpeteret. Die 23. aprilis brachium dextrum cum

crure

crure dextro paralyticum erat, pollicibus contra manus pedisque ſiniſtri in epilepſiae paroxyſmis convulſis. Poſtero die jam melius res viſu diſcernere poterat, pupilla facilius ſe contrahente. A d. 25. aprilis autem usque ad d. 12. maji epilepſia quotidie creberrime, vehementiſſimeque et interdum vel tricies correptus, poſtea ad d. 1. junii ab epilepſia prorſus vacuus, viſu optimo, et pro corporis imbecillitate, membrorum omnium vigore, et mentis quoque alacritate praeditus, optime valuit, poſtea, quam a d. 1. aprilis usque ad d. 12. maji quadringentos et ſexaginta cujusvis generis epilepſiae paroxyſmos ſuſtinuerat.


12) F. K. epileptico-maniacus triginta trium annorum m), qui poſt quatuordecim dierum inducias, d. 3. decembris 1769. ſex vehementes, nocte proxima, duos ejusmodi, et d. 4. decembris binos debiliores, epilepſiae paroxyſmos ſuſtinuerat ita, ut, ſub cujuslibet initio, caput cum thorace antrorſum verſus pedes, quaſi in glomerem contraheretur, antequam in artuum convulſionibus terminarentur, a d. 4. decembris ad d. 11. maji belladonnae propemodum undecim drachmas ſenſim deglutivit.

m) vid. loc. cit. p. 317. no. 39.

Ad d. 9. decembris quotidie ter vel quater epilepſia vehementer correptus, fere prorſus nihil comedit. Die 9. et 10. decembris ab epilepſia liber, faciem creberrime pugnis contundens, d. 11. ex octo diebus primum aliquid guſtare incipit, obambulat, ineptit, faciemque interdum adhuc alapis ferit. Die 13. denuo furibundus ſe aliosque pugnis caedens, nihil deguſtans, urinam largiter dimittens, multumque bibens, naſum, quoad tactum, frigidiſſimum habebat, cujus apex non niſi d. 20. decembris naturalem ſenſim calorem induebat; furor autem ſequentibus diebus adeo increvit, ut vinculis illum vinciri oporteret. Nocte, inter 15. et 16. decembris media, bis epilepſia vehementer correptus, poſtea primum inſigniter ſudavit, furore plus minus ad d. 3. januarii permanente. Interea cibos optime adpetiit et per vices plus minus ſudavit, alvo quotidie rite aperta, multaque ſecedente urina. Die 29. et 31. decembris leviſſimi inſultus, artuum tantum extenſione, oculorum diſtorſione et vocis criſpatione, breviſſime transeuntes, obſervabantur. Die 5. januarii juſto calidior parum comedit, medio autem januarii pacatiſſimus vix ſatiari potuit. Die 25. januarii ſemel vehementer, a d. 27-30. januarii vero, magna cum alvi conſtipatione, quotidie

tidie epilepſia aliquoties quam vehementiſſime correptus, et e lecto excuſſus eſt: inſimul vehementer ſitiit, vomiturivitque. Unicum vomitum ſat fortem, ipacacuanha d. 30. januarii ſumta, ſomnus altiſſimus, cum alvo naturaliter aperta, inſequebatur. Inſigniter ſtupidus, d. 1. februarii poſt paſtum ſemper tuſſire coactus, ſitim potu vix exſtinguere potuit. A d. 7. februarii quoque poſt prandium quotidie vehementer incaluit toto corpore, inprimis tamen capite, adeo, ut facies interdum ruberrima appareret. Calor iſte ruborque faciei poſt paſtum die 5. februarii ſenſim decreſcens, d. 8. februarii illum prorſus dereliquit ita, ut mentis compos et affabilis ad ea, quae interrogabatur, ſatis apte reſponderet. Bene valens, libere obambulans, mentisque in dies magis compos factus d. 19. februarii ſacrae coenae quam devotiſſime interfuit, id quod antea in noſtra domo ſemper recuſaverat. A d. 25. ad 27. februarii quotidie ſemel, et d. 28. ter ab epilepſia vehementer diſtentus, debilitatusque, d. 3. martii jam ineptire incipiens, d. 4. ad meridiem usque dormivit. Die 8. martii ſub finem cujuslibet duorum epilepſiae paroxyſmorum, vomituritione, et frontis ſudore largo, per horae quadrantem, vexabatur. Ipecacuanhae ſcrupulus illico

propinatus nec nauſeam, nec vomitum, ſed binas tantum alvi evacuationes praeſtitit, inſequente denuo vehemente paroxyſmo epileptico. Die 9. martii vehementiſſimo ejusmodi tres horae partes durante, et hinc usque ad d. 17. martii quotidie bis, ter, vel quater quam vehementiſſime diſtentus, et plerumque ructibus et vomituritionibus, cum ventris torminibus, alvi conſtipatione et copioſiore urinae fluxu vexatus, d. 18. martii demum alvum rite exonerare potuit; amentia tamen usque ad finem martii plus minus manente. Hinc bene valuit usque ad d. 12. aprilis, quo ad d. 15. aprilis quotidie ſemel vel bis, mentis tamen egregie compos, epilepſia correptus eſt. A d. 18. ad d. 27. aprilis per intervalla brevia ineptiens, hinc biduo bene valens, d. 30. aprilis demum ab epilepſia quotidie, cum ſtupiditate quadam et ſopore, aliquoties vehementer diſtentus, fere nihil ciborum adpetens, et dies noctesque dormiens, d. 11. maji ab ulteriore belladonnae uſu arcebatur, jam in eodem, quo, ante coeptam hanc curationem, ſtatu, vitam tranſigens.

13) G. H. viginti octo annorum, anno aetatis viceſimo tertio melancholico - maniacus factus, poſtea etiam in epilepſiam quotidianam fere, et

unico

unico ſaepius die aliquoties incidit. Furioſiſſimus per intervalla a vinculis ſaepenumero ſe ipſum liberans, perſuaſiſſimum habet, ſe genium quendam album videre, qui ſenis parvi ſtatura ſaepius compareat, ipſumque continuo ad caedem, incendiumque incitet. Sat robuſtus juvenis, a ſcabiei, ſub finem anni 1768. et initium 1769. diuturna praeſentia, temporariam tantum, parvamque admodum, furoris imminutionem ſentiens, a d. 4. decembris 1769. ad d. 15. maji 1770. belladonnae ſenſim drachmas undecim deglutivit. Die 7. decembris parum, ſequentibus vero longe magis ſudare coepit, adeo, ut induſium etiam d. 12. decembris maculis fuſcis exinde conſpurcaretur, de reliquo ſatis pacatus. Die 13. decembris urinae largius profluvium, una cum copioſo ſudore animadvertebatur, aegro inter haec, cum ciborum adpetitu majore, alvoque ſolito laxiore, paulo magis ineptiente, d. 23. decembris vero conſueto longe alacriore. Sudore hinc ſenſim imminuto, d. 9. januarii poſt meridiem tumor in gena ſiniſtra prope naſum oculumque ortus, d. 11. cum calore increſcens, d. 13. et 14. januarii diſſipabatur, ſudore interea iterum aucto. Epilepſiae paroxyſmi a d. 20. januarii paulo frequentiores d. 24. ſingulari

ratione

ratione immutabantur. Eorumdem enim loco, linguam tantum modo, quousque poterat, exſeruit, variasque alias abominandas faciei geſticulationes ſaepius iteravit, quibus tandem poppyſmata et vomituritiones jungebantur. Lene emeticum d. 29. januarii poſt varios ejusmodi, et vehementem epilepſiae verae paroxyſmum, cum magna praecordiorum anxietate, crebrisque vomituritionibus, propinatum, tantum ipſi levamen attulit, ut a d. 2. ad 10. februarii fere prorſus ceſſarent. De novo autem d. 10. et 12. exorientes tam geſticulationes, quam poppyſmata, idem emeticum d. 13. februarii ſumtum, imminuit quidem, d. 20. februarii vero epileptici inſultus una cum ſudore denuo augebantur, et a d. 5. ad d. 16. martii epilepſiae paroxyſmi una cum geſticulationibus adeo increſcebant, ut d. 5. martii praeſertim oſcitans, et ad faciei livorem usque vomituriens, altera manu ſupra caput elevata, altera abdomen, quantum poterat, ſaepe fortiterque impetens, concuteret. Vomitoriorum d. 6. 9. et 12. martii parva doſi exhibitorum duo poſteriora, nullum vomitum ciendo, aliquoties tantum alvum abundanter exonerarunt. Die 16. martii denuo in gena ſiniſtra prope naſum oculumque, tumor ſat inſignis, durus, et parotis dextra duriuſcula et

tumida

comparuit, cum epilepticorum inſultuum inſigni levamine; ambo autem tumores d. 20. martii jam decreſcentes, die ſequenti prorſus evanuerant. Iidem poſtea tumores, iisdem locis, eodemque cum eventu, a d. 5. ad d. 7. aprilis conſpiciebantur, id quod etiam, poſt vomitus quosdam ſpontaneos d. 21. maji tertium factum eſt, poſteaquam d. 15. maji jam e continuantium numero, ob morbi pertinaciam, penitus excluſus, intra hos 163 dies centum et quadraginta, paroxyſmos cujusvis epilepſiae generis ſuſtinuerat.

14) D. E. Z. ſtramonii extracto egregie allevata n), ſcabie ſicca, cum majore epilepſiae decremento, menſe octobri 1769. laboraverat, qua, novembri extremo, vix ſecedente, nocte inter d. 4. et 5. decembris media, eadem iterum bis vehementer, et per plures horas corripiebatur, et ex eo tempore ad d. 15. maji 1770. drachmas undecim belladonnae ſenſim deglutivit. Poſtero die leviſſimas adhuc muſculorum, artus, oculosque moventium, contractiones ſentiens, hinc alacris optime valuit. A d. 16. decembris qualibet nocte vehementer ſudans, magnum d. 19. capitis calorem,

d. 20.

n) vid. l. c. pag. 299. no. 31.

d. 20. menſtrua; et praegreſſos, nocte inter d. 22. et 23. decembris media, artuum ſpaſmos, ſingultus dimidiam horam durans, cum reminiſcentia abſente, et vehementi ſudore, exceperunt; quem menſtruorum ceſſatio illico inſequebatur. Poſt leviores artuum ſpaſmos, d. 25. decembris et d. 4. januarii nocturno tempore cum reminiſcentia integra brevi transeuntes, mane praeſertim ſitire, plurimum mingere, oculorumque hebetudinem ſentire coepit; levisque diarrhoea d. 5. cum borborygmis accedens, ad d. 8. januarii usque permanſit. Die 9. januarii e lecto ſurgens, ceu ebria hinc inde vacillavit, vertiginem d. 11. januarii larga narium haemorrhagia ſolvit, brevemque horrorem d. 13. nocte proxima largus menſtruorum fluxus, d. 15. januarii ceſſans, excepit. Fluentibus autem iisdem, magna praecordiorum anxietate, et d. 19. januarii poſt iram ſingultu, per dimidiam horam, cum alternante ſiniſtri brachii, dextrique cruris convulſione adfligebatur, quem vehemens ſitis, magnusque capitis calor ruborque inſecutus eſt. Idem calor ruborque a d. 26. circa meridiem quotidie faciem, totùmque caput ſubito, cum inſigni oculorum hebetudine, et vehemente ſiti, per integram horam, occupans, ſumto demum d. 31. januarii leni emetico,

tico, ceſſavit. Leves d. 5. et 6. februarii artuum tremores, nocte proxima largus pectoris ſudor, huncque d. 7. fluxus menſtruus, non niſi oſcitationibus, nocturno tempore d. 9. februarii horam durantibus, frigoreque dorſum decurrente, moleſtus, dieque 11. februarii cum ventris torminibus, et ſat vehemente, brevi autem deſinente, diarrhoea ceſſans, inſecutus eſt, artubus interim agillimis, leviſſimisque exiſtentibus. Illuceſcente d. 18. februarii, dextri brachii dolores, rheumaticis ſimiles, hinc formicationis ſenſum, et ſequente die ſpaſmos ejusdem brachii percepit, quos lene emeticum, d. 20. februarii ſumtum, ſuſtulit; poſtero autem die mane revertentes artuum ſpaſmi et ſingultus, nauſeam cum ciborum adpetitu debili et levi diarrhoea reliquerunt, quam d. 26. februarii rhabarbarum cum pauco ſale amaro, alvum novies evacuando, illico ſedavit. Summam d. 4. martii circa meridiem, ortam praecordiorum anxietatem menſtrua demum, ſequenti mane ad d. 10. martii largiter profluentia, prorſus diſſiparunt; revertentem vero, d. 13. martii circa prandium et coenam, praecordiorum anxietatem, cum inſigni capitis calore, faciei rubore, et oris amaritie, horam integram durantem, lene emeticum d. 14. martii circa meridiem

ſumtum,

ſumtum, inſigniter allevavit. Mediocrem d. 15. martii capitis calorem, ventriculi preſſionem et dolorem totius corporis obtuſum, ſequente nocte ſpaſmi brachiorum tantum, cum reminiſcentia exulante trium horarum ſpatium durantes, atque hos ventris tormina, cum fluore albo, exceperunt. Hoc d. 20. martii vix ceſſante, faciei calor ruborque cum magna ſiti redeuntes d. 23. illam laſſam, anxiamque cum levioribus artuum ſpaſmis reliquit; nauſeam quoque cum ciborum adpetitu depravato d. 28. accedentem, nec vomitus ſpontanei d. 29. orti, nec lene vomitorium illico ſumtum, nec epilepſiae paroxyſmus ſat gravis, d. 31. martii intempeſta nocte quinque horas durans, penitus ſuſtulerunt. Menſtruorum etiam tempore d. 2. aprilis inſigniter ſitiens d. 4. prandii tempore copioſam pituitam ſponte evomuit. Die 7. aprilis de artuum ſpaſmis, d. 11. formicationis ſenſu; et d. 13. poſt ſingultum, levesque capitis et artuum convulſiones, de nauſea denuo et laſſitudine conqueſta, d. 22. diarrhoea ſat gravi cum vomituritione et ventriculi preſſione ad d. 24. aprilis correpta eſt, quas d. 25. menſtrua largiſſime ad d. 28. aprilis promanantia exceperunt. Alternanti hinc capitis calori cum diarrhoea d. 10. maji magna denuo capitis conquaſſatio,

quaſſatio, cum ſpumeſcente ore et reminiſcentia ceſſante, ſupervenit; dieque 14. maji poſt alvum ſegniorem, cum ventris inflatione, caput iterum incaluit, eaque, ex belladonnae uſu nequaquam allevata, in eodem jam alternante valetudinis ſtatu permanſit.

15) M. E. L. ſtramonii extracto o) quodammodo allevata, quae ex eo tempore raro graviores paroxyſmos, ſed utplurimum leviores tantum ſentiens, quorum acceſſu, ut d. 23. januarii 1770. vacillans, amictum ſolvere exuereque tentaverat, a d. 23. januarii ad d. 4. junii belladonnae ſenſim drachmas undecim cum dimidia deglutivit. Poſt levem ejusmodi d. 26. januarii acceſſionem, de capitis dolore caloreque conquerens, largiter ſudare coepit. Die 3. et 6. februarii leviſſimo inſultu adflicta et d. 5. vehementer ſudans, d. 6. de vertigine ructibusque conquerebatur. Licet igitur lene emeticum, d. 8. februarii ſumtum, ſex vomitus cum levamine cieviſſet, d. 10. tamen leviſſimum et d. 14. februarii admodum vehementem epilepſiae paroxyſmum experta eſt. Ejusmodi quoque gravem

o) loc. cit. pag. 333. no. 46.

gravem epilepsiae paroxysmum die 2. martii praesentem nocte proxima menstrua, a medio januarii retardata, exceperunt, quae, levissima d. 6. martii accessio et sequente die binae paulo fortiores, cum capitis dolore, insequebantur. Rheumaticos dorsi dolores, die 14. martii praesentes, venaesectio, proximo die instituta, abstulit. De oculorum hebetudine conquerens, d. 18. et 28. martii circa meridiem duos paulo fortiores epilepsiae paroxysmos, d. 24. et 29. martii autem levissimas tantum accessiones, dieque 1. aprilis vehementem sudorem experta est. Menstrua a d. 7. ad 10. aprilis rite promanarunt. Post levissimum d. 14. aprilis insultum, de capitis obnubilatione per breve tempus, d. 15. aprilis cum parva vertigine revertente, conquerens, d. 18. 20. et 27. aprilis levissimas accessiones sensit et a d. 29. aprilis rixosa, d. 2. maji iratior facta, parum ineptiit. Levissimas itidem d. 5. 16. et 21. maji accessiones, somnolentiae tantum similes, die 25. maji menstrua ad d. 29. maji exceperunt, inter quae d. 28. post prandium epilepsia mediocriter accessit, id quod etiam d. 31. maji post iram rixamque factum est, ex eo tempore vero ad d. 20. junii bene valuit.

16) C. L.



16) C. L. qui epilepſia nequaquam, ut anno abhinc mentis impos p) retulerat, a terrore anno 1763. incuſſo, ſed, ut d. 21. maji 1770, mentis optime compos, ipſe uberius explicavit, jam puer, ſextum annum agens, ab ala molae pnevmaticae capite adeo graviter laeſus, ut mortuo ſimilis in paternam domum reportaretur, primum correptus, ex eo tempore eadem interdiu ſaepius, plerumque tamen noctu, quotannis vehementiore facta, absque ullo tamen furore, laboraverat, donec bello nuperiore finito, ſummo etiam furore adfligeretur; d. 4. decembris 1769. e quatuordecim diebus et a furore et epilepſia liber, de dentium dolore tantum, carie exeſorum, conquerebatur, cum belladonna, cujus ad d. 4. junii 1770. drachmas tredecim conſumſit, uti inciperet. Gena ſiniſtra proxima nocte intumeſcente, varia quidem incongrua, pro more ſuo, protulit, nequaquam tamen, licet d. 5. et 6. decembris bis epilepſia vehementer corriperetur, inſaniit, adpetitu ciborum ſequentibus diebus vario, ſiti autem plerumque majore exiſtente. A die 13. decembris ſequentibusque magnam urinae copiam dimittens, veſperi ſeſqui grano pulveris foliorum

 bella-

p) loc. cit. pag. 311. no. 36.

belladonnae deglutito, ſponte vomuit, nihil fere deguſtavit, largiter ſudavit, dieque 16. decembris crebrius vomens, largiterque ſudans, de torminibus circa umbilicum conqueſtus eſt. Sumto igitur d. 17. decembris ſale amaro, bis inſuper vomuit, ſaepiusque alvum depoſuit, hinc admodum pacatus bene dormivit; quidpiam vero d. 18. decembris deguſtans, levi iterum nauſea adficiebatur, quam, una cum ponderis ventriculi ſenſu, diarrhoea, proxima nocte ſponte orta, penitus ſuſtulit. A d. 20. ad 22. decembris mediocriter inſaniens, medicinam reſpuens nihilque comedens, poſt levem d. 23. decembris inſultum, vel decies inſuper ab epilepſia quam vehementiſſime correptus, languescens; d. 25. decembris vero, parum ſudans, admodum pacatus, beneque valens conſpiciebatur. Die 3. et 5. januarii noctu ſomnians, varia quidem abſurda protulit, interdiu autem adeo bene valuit, ut etiam alios maniacos verborum delinimentis pacatiores reddere conaretur. A d. 10. ad 23. januarii per intervalla ipſe garriens ineptiensque, tunc demum pacatior, ſomno utplurimum ſepultus, multumque bibens, ſequentibus diebus cantilenas ſacras, clara fere ſemper voce, praelegit. Die 29. januarii pilulam repudians, taciturnus, circa

meri-

meridiem levi epilepſiae inſultu, magna cum praecordiorum anxietate, magnoque cum capitis calore correptus, capillos modo evellens, modo flocculos, plumasque e lecto decerpens, conſpiciebatur; brevi autem ad ſe rediens multumque bibens, bene dormivit, adpetiitque. Die 8. et 10. februarii per breve tempus paululum garriit, a d. 13 - 18. februarii vehementer inſaniit, die 16. et 20. februarii leviſſimum epilepſiae paroxyſmum ſuſtinuit, quo ceſſante, mentis uſum, cum bono ciborum adpetitu recepit, licet poſt pilulae deglutitionem matutino tempore, ut reliquorum plurimi, jam aliquamdiu palleſceret. Die 26. et 27. martii parum garriens, d. 28. et 30. martii leviſſimos epilepſiae inſultus experiebatur, quorum poſteriorem ſumma taciturnitas, plenariaque a cibo et potu abſtinentia cum pulſu debili et juſto frequentiore, exceperunt; die 4. autem aprilis ſitis vehementiam potulentis vix exſtinguere potuit. Die 5. aprilis iterum garriens, d. 6. demum parum deguſtare coepit, d. 7. aprilis jam longe pacatior. Poſt duos d. 8. aprilis leviſſimos epilepſiae inſultus, mentis magis compos, optimo ciborum adpetitu gaviſus eſt. Die 20. et 21. aprilis parum garriens, d. 22. ſat vehementi epilepſiae paroxyſmo correptus, ſequente

tempore perbene valuit. Die 11. 20. et 21 maji, poſt leviſſimam, ſomnolentiae tantum ſimilem acceſſionem, ad labores ipſi antea conſuetos, ſponte rediit, id quod antehac in aedibus noſtris, ab ipſo nunquam obtineri potuerat. Die 4. junii vero mediocrem epilepſiae inſultum, ſummo mane vehementiſſimus, aliusque ejusmodi paroxyſmus d. 11. junii inſequebatur, donec d. 15. junii denuo obmuteſcens, medicamenta omnia una cum victu potuque ſat diu pertinaciſſime reſpueret.

17) M. S. epileptico-maniaca ex ſtramonii uſu per breve admodum tempus allevata q), a d. 25. decembris parva quotidie epilepſiae acceſſione, lypothymiae haud abſimili, aliquoties correpta, paulo poſt, abdomine denudato, genitalia manibus titillando, ſubito in furorem acta, contubernales pugnis caedere atque mordere, idemque d. 31. decembris ſummo mane longe furioſior repetere tentaverat, cum illa ipſa veſpera belladonna uti inciperet, cujus ad d. 4. junii drachmas quatuordecim et amplius ſenſim deglutivit. Die 2. et 3. januarii levioribus tantum ſpasmis adflicta, de oculorum caligine, dimidiam circiter horam poſt deglutitum pulverem foliorum belladonnae durante, conquerebatur,

q) l. c. pag. 320. no. 41.

rebatur, quae d. 4. et 5. januarii, imminuta licet dosi, ad coecitatem fere temporariam aucta, una cum capitis dolore, menstruis a d. 6. ad d. 12. januarii rite promanantibus, penitus evanescebat. Die 13 et 14 levissimas accessiones, d. 15. vero fortiorem sentiens, d. 16. januarii post leviorem, duobus vehementissimis epilepsiae paroxysmis, quibus veluti lapis rigescebat, correpta, superatis iisdem in cachinnos effusa cantavit, omniaque, quousque manibus pertingere poterat, palpavit et d. 17. januarii levissimam tantum accessionem experta est. A d. 15. januarii autem denuo de oculorum hebetudine, tres horas manente, conquerebatur. Post vehementem d. 27. januarii epilepsiae paroxysmum cum magno clamore, sine ullo tamen furore, a d. 28 januarii ad d. 1 februarii quotidie longe mitior ejusmodi; d. 3. et 4. februarii post leviorem vehementior cum ejulatu, et rerum propinquarum palpatione; d. 5. 8. 9. et 10. februarii autem quotidie levissima tantum accessio observabatur. Membrorum vero lassitudinem d. 5. februarii cum ventris dolore, ciborum adpetitu imminuto et oculorum caligine, menstrua a d. 10. ad d. 14. februarii exceperunt. Rediens ciborum adpetitus depravatio cum ructibus, sumto d. 20. februarii leni emetico, facile quidem

 cessabat,

ceſſabat, leviſſimi autem inſultus a d. 19 ad 27 februarii quotidie revertebantur. Die 5. martii exiguum capitis dolorem, d. 10. vehementem paroxyſmum cum furore et d. 12. martii leniſſimum experta eſt. Poſt catameniorum vero a d. 17. ad 21. martii fluxum, usque ad horum d. 16. aprilis reditum, non niſi octies leviſſimos inſultus, brachii dextri tantum ſpaſmis abſolutos, dieque 21. aprilis leniſſimos pedum ſpaſmos percepit. Die 24. et 27. aprilis leviſſima lipothymiae ſimili acceſſione adflicta et d. 29. aprilis de magna oculorum hebetudine conquerens, pupillas valde dilatatas habebat, quae dilatatio vero, una cum viſus hebetudine, doſi pulveris foliorum belladonnae a granis duobus ad ſesqui granum imminuta, d. 5. maji jam prorſus evanuerat. Sic quoque poſt leniſſimas, d. 10. 12. et 13. maji lipothymiae ſimiles acceſſiones, d. 15. ad 21. maji, menſtrua rite promanarunt. Inter haec d. 17. et 21. maji leviſſimis tantum dextri brachii ſpaſmis adflicta, mentis jam optime compos bene valet, cum raro adhuc leniſſimis ejusmodi inſultibus adficiatur.

18) G. E. R. qui, epilepſia primum anno 1757 a terrore contracta, cui poſmodum mania et interdum ſat vehemens jungebatur, in ejusmodi paroxyſmo

roxyſmo mendicum, d. 4. octobris 1766. mala fortuna ipſi obvenientem, interfecerat, ideoque exeunte ſeptembri anni 1769. duos et triginta annos natus huc delatus erat, in aedibus noſtris, ſexto quoque vel octavo die, epilepſia, cum ſubſequente mania, biduum vel triduum durante, laboravit. Hic a d. 4. decembris ad d. 1. maji belladonnae ſenſim drachmas quatuordecim cum ſemiſſe deglutiens, d. 6. et 7. decembris poſt vehementia ventris tormina, quolibet die bis alvum laxam depoſuit, id quod etiam d. 17. 18. 20. et 27. decembris factum eſt. Die 12. et 13. decembris bis epilepſia vehementer correptus, valde ſudans, hoc die, pro more ſuo nihil deguſtavit. Die 15. de pectoris dolore punctorio, brevi tranſeunte, d. 19. de crebriore urinam mittendi neceſſitate et d. 25. decembris de vehemente capitis dolore conquerens, d. 27. poſt levem, fortemque epilepſiae paroxyſmum, largum denuo ſudorem expertus eſt. Hinc bene valuit usque ad d. 7. januarii, quo circa veſperam de lumborum dolore et abdominis preſſione, ac ſi lapis intus haereret, conquerebatur. Sal amarum d. 8. januarii ſumtum, ter alvum fortiter laxando, preſſionem abdominis et lumborum dolores quidem abſtulit, iidem vero poſtea viciſſim modo caput,



modo dorſum, ad d. 20. januarii plus minus occupantes, non niſi d. 21. prorſus evanuerunt. Die 3. februarii duobus leniſſimis, breviſſimisque epilepſiae paroxyſmis, cum ſubſequente largo ſudore, et adpetitu ciborum amiſſo d. 5. februarii lene emeticum cum levamine ſumſit. Die 6. ſera veſpera, ob meditationem, ut praedicabat, neceſſariam, e lecto ſurgens, veſtimenta induens, in cubiculo per octavam horae partem obambulavit, ſeque iterum cantando exuens, ad dormiendum quiete compoſuit. Die 15. levi brevique praetereunte vertigine et d. 20. capitis dolore vexatus, d. 21. februarii ter ſponte vomuit. Lene emeticum illico exhibitum quater inſuper vomendo copioſam bilem cum pituita evacuavit; manentem vero d. 22. februarii capitis dolorem cum corporis calore, temperantia data brevi ſedarunt. Poſt lenem denuo d. 5. et 6. martii diarrhoeam, rixoſus, a d. 9. ad 11. martii de inſigni oculorum hebetudine conquerens, nocte proxima, ob majorem animi pervicaciam, loris vinctus ineptire, aliosque mordere tentavit, d. 14. martii autem jam penitus reſipuit. Die 19. et 20. martii duo leniſſimi breviſſimique epilepſiae inſultus, illum, praeter conſuetudinem bene adpetentem, reliquerunt. Ab ineunte aprili de oculorum hebe-

hebetudine, manuum, pedumque levi ſpaſmo, capitis obnubilatione et membrorum laſſitudine per vices conquerens, d. 9. aprilis levem epilepſiae inſultum, proximaque nocte binos fortiores paroxyſmos, cum adpetitu denuo depravato, experiebatur. Venaeſectionem d. 11. aprilis inſtitutam, inſania ad d. 18 dieque 19. aprilis vehemens epilepſiae paroxyſmus inſecutus eſt. Die 30. aprilis vero, poſt binos nocte praecedente mediocres epilepſiae paroxyſmos, per dies quosdam adeo inſaniit, ut totius generis humani ſalvatorem ſe praedicans, omnem medelam penitus repudiaret, nunc jam in eodem, quo ante coeptam curationem fuerat, ſtatu obambulans.

19) Nobilis, e generoſa ſtirpe oriundus juvenis, qui ex ſtramonii uſu r) quolibet ſexto, octavo et, quam diutiſſime, decimo quarto die aliquoties et nocturno tempore d. 25. decembris quinquies vehementer, cum adpetitu ciborum inſigniter depravato, convulſus erat, a d. 26. decembris ad d. 14. maji 1770. pulveris foliorum belladonnae drachmas quatuordecim cum ſcrupulis duobus, ſenſim deglutivit. Bene dormiens, bonoque ciborum adpetitu gaudens, a d. 28. decembris ad d. 1. januarii quotidie

r) vid. loc. cit. pag. 287. no. 26.

quotidie et praesertim nocturno tempore duos vel tres et interdum sat vehementes epilepsiae insultus experiebatur, cum leni quadam diarrhoea. Die 29. decembris sequentibusque saepius pituitam exscreans, d. 30, ab hora quinta pomeridiana post levissimum epilepsiae insultum ad septimam matutinam sequentis diei continuo dormivit, evigilans autem et vehementer sitiens, sequenti die ad d. 3. januarii usque cum copiosiore urina, largiter sudavit. Ex eo tempore de insigni oculorum hebetudine, per vices revertente, conquerens, alvum quotidie ter, quater, vel quinquies consueto laxiorem deposuit et, superatis d. 15. januarii tribus levioribus epilepsiae insultibus cum quatuor vehementissimis, magnam pituitae copiam sponte evomuit; aequalis autem leni emetico sumto, insuper evacuabatur. Subitum d. 31. januarii faciei pallorem debilis epilepsiae paroxysmus, proximaque nocte alius ejusmodi insequebatur. Licet igitur parva ipecacuanhae dosis d. 2. februarii largas denuo tam superius, quam inferius evacuationes praestiterat, die tamen 3. februarii novem insuper leves insultus cum vehemente epilepsiae paroxysmo experiebatur. Orta hinc a d. 19. februarii per quosdam dies parva salivatione, paulo post insignem,

d. 25.

d. 25. februarii in templo ortum subitum horrorem, cum magna tam capitis, quam oculorum obnubilatione, tota facies, cum oculorum rubedine quadam, nonnihil inflata, minutissimisque irregularibus maculis atro-rubris, praesertim in fronte, repleta conspiciebatur, quibus circa vesperam cum nausea tres leviores epilepsiae insultus accessere. Leni emetico d. 26. februarii cum levamine sumto (id quod eandem ob rationem, similique cum effectu, d. 18. 22. martii, d. 1. aprilis et d. 2. maji repetebatur) d. 27. februarii jam pectus et d. 28. femora etiam ejusmodi maculis obscure rubris scatebant. Febris inter haec expers, pro lubitu obambulans, de reliquo bene valuit, cum ex eo tempore leviores et levissimi tantum insultus ad d. 7. aprilis animadverterentur. Die 16. aprilis de lumborum dolore cum levi diarrhoea, brevi cessante, conquerens, d. 27. et 29. aprilis post meridiem in templo levem horrorem cum levissima oculorum obnubilatione experiebatur. Cum vero ab ineunte majo epilepsiae paroxysmi tam frequentia, quam vehementia denuo increscerent, d. 15. maji e continuantium numero exclusus, jam in eodem, ut ante coeptam curationem, statu versatur.

20)

20) E. C. K. s) pulveris foliorum belladonnae a d. 31. decembris 1769. ad d. 3. junii 1770. drachmas quindecim ſenſim deglutiens, ſtatim bene exinde dormivit, urinam largiter dimiſit, menſtruaque d. 3. januarii ſine ullo incommodo rite experta eſt, quorum fluxus d. 6. januarii poſt leviſſimam acceſſionem ceſſabat. Ejusmodi leviores etiam epilepſiae inſultus d. 8. 18. et 21. januarii revertebantur. Die 13. de oculorum hebetudine per aliquot horas conquerens, die 29. januarii menſtrua denuo ad d. 2. februarii promanantia experiebatur, inter quae d. 1. februarii ſummo mane vehementem paroxyſmum, circa meridiem longe mitiorem, cum imminuto ciborum adpetitu ſuſtinuit. Lene emeticum, d. 4. februarii ſumtum, impedire non poterat, quin epilepſiae paroxyſmi hoc menſe crebrius vehementiusque illam invaderent. Hi a d. 6. ad 8. februarii cum vertigine conjuncti erant, cui d. 10. februarii leve delirium, brevi praeteriens, accedebat. Die 27. februarii de ventris torminibus conqueſta, d. 28. poſt meridiem tumorem gingivarum dextri lateris, cum febricula et frigoris quodam ſenſu, vehementer dolentem percepit, quem

d. 1.

s) vid. loc. cit. p. 327. no. 44.

d. 1. martii duo leniſſimi inſultus et d. 3. martii menſtrua, d. 6. demum, cum epilepſiae brevi, aſt forti paroxyſmo ceſſantia, exceperunt. Die 8. martii remittens gingivarum dolor coxendicem ſiniſtram occupaverat ita, ut vix ſine claudicatione incedere poſſet, die 11. autem omnis dolor evanuerat. Poſt levem d. 12. martii inſultum cum labris longa ſaliva manantibus, grana quinque ipecacuanhae d. 14. martii propinata, tres largiſſimos vomitus cum levamine cievere. Diebus 17. 18. 21. et 26. martii leviſſima acceſſio obſervabatur. Promanantibus a d. 31. martii ad d. 4. aprilis menſtruis, d. 2. et 3. leniſſimis, d. 13. et 14. aprilis levi et fortiori acceſſioni obnoxia, d. 15. et 16. aprilis poſt mediocrem ejusmodi, doloribus rurſus genae dextrae, coxendicis ſiniſtrae et lumborum vexabatur ita, ut vix, ab aliis ſuſtenta, incedere poſſet. His autem d. 18. aprilis imminutis, levem iterum dentium ſtridorem, brachiique dextri ſpaſmum ſuſtinuit, qualis etiam d. 20. aprilis revertebatur. Et ex eo tempore, menſtruis licet a d. 1. ad 3. maji, nec non a d. 3. ad 8. junii rite promanantibus, non niſi rarius leviſſimis acceſſionibus tentata, ad hunc usque diem ſat bene valet.

21)

21) G. F. R. qui poſt ſtramonii uſum t) per intervalla adhuc plus minus delirans, ſexto quoque, octavo, vel decimo quarto die unum vel plures epilepſiae paroxyſmos; dieque 2. atque 3. decembris 1769. vehementes ejusmodi expertus erat, a d. 4. decembris usque ad d. 4. junii 1770. belladonnae uncias duas cum drachma dimidia ſenſim deglutivit. Vehementer exinde noctibus ſudans d. 6. decembris ſomniando delirans „omnia domi „combuſta, ſibique neceſſario domum revertendum „eſſe„ clamavit. Loris autem vinctus illico conquieſcens, iisdem ſtatim ſolutus pacatiſſimus repeviebatur. Interea ciborum adpetitu bono, corporisque et mentis alacritate gaudens, qualibet nocte vehementer ſudare perrexit. Die 13. decembris majorem quoque urinae copiam excernere, atque in dies mentis magis compos fieri coepit. Die 18. decembris ſequentibusque ſudoris vehementia paulo imminuebatur. Sub finem decembris initiumque menſis martii domum denuo reverſurus, facile ad priorem mentis quietem reducebatur. Die 8. januarii ſequentibusque copioſam rurſus urinam excrevit. Lene emeticum d. 4. februarii et d. 14. martii

tanto

t) loc. cit. pag. 318. no. 40.

tanto cum levamine ipſi propinabatur, ut ab omni delirio prorſus immunis, toto hoc ſemeſtri temporis ſpatio non niſi novem paulo inſignioribus epilepſiae paroxyſmis, una cum viginti quinque leviſſimis acceſſionibus corriperetur, iisdemque, abſoluta jam curatione, longe debilioribus factis, rariſſime adficeretur.

22) I. E. S. v) quae a terrore, anno aetatis decimo ſexto ipſi, bene valenti, menſtruorum tempore, incuſſo, primum in lipothymias, ſenſim vehementiores, hinc in epilepſiam, eamque tandem cum furore conjunctam, inciderat, a d. 15. decembris 1769. quotidie binis vel trinis ſolito vehementioribus epilepſiae verae paroxyſmis correpta, interdiu plurimum; nocte vero perparum dormiens, inſaniensque, menſtruis, d. 23. decembris ceſſantibus, rite defuncta, a d. 24. decembris ad d. 31. maji pulveris foliorum belladonnae drachmas fere ſeptemdecim et pilularum ſcrupulos duos ſenſim deglutivit. Proxima nocte largiter ſudans, crebroque urinam dimittens, d. 28. cum adpetitu ciborum et ſomno moderatiore, parum, d. 30. vero, cum auctiore ciborum adpetitu, largius ſudavit. Binas

d. 31.

v) Eadem, quae l. c. pag. 329. no. 45. invenitur.

d. 31, decembris leviſſimas, lypothymicas quaſi acceſſiones, menſtrua d. 1. ad d. 4. januarii excepe- runt. Haec a d. 4. januarii vehemens ſitis, crebra mingendi neceſſitas, largiorque ſudor inſequebantur. Poſt leniſſimum d. 13. januarii matutino tempore inſultum, per totum diem ridendo, cantando et circumjacentia palpando, inſaniit, quae inſania demum ſera veſpera vehementi epilepſiae paroxyſmo terminabatur. Die 27. januarii coenae tempore ſubito in furorem acta, circa undecimam horam praecinctorii redimiculo ſe ipſam, ad livorem faciei usque, ſtrangulans, contubernales exoravit, ut, cum ipſi hac vice neceſſario moriendum ſit, protinus interficerent, medicinam reſpuit, excrementa omnia ubicunque locorum dimiſit, et ad ſequentem usque diem inſaniit. Poſt meridiem vero leviſſimum epilepſiae inſultum menſtrua, conſopito omni furore, rite exceperunt, d. 2. februarii cum vehementi epilepſiae paroxyſmo ceſſantia. Nocte inter 30. et 31. januarii media, quam vehementiſſime ſudavit, crebroque urinam dimiſit, ipecacuanha d. 4. februarii data, unicum tantum vomitum cievit. Die 13. februarii mediocriter inſaniens, ad d. 19. qualibet nocte vehementem epilepſiae paroxyſmum experiebatur, quorum loco d. 20. et d. 21. manuum

pedum-

pedumque leves tantum ſpaſmi obſervabantur. Hos d. 27. februarii menſtrua, d. 1. martii ceſſantia, ſtatim inſequebantur, quibus d. 28 februarii noctu bini leviſſimi inſultus accedebant, manuum tantum ſupra caput comploſione, et vehementi at breviſſima tuſſi, ſuffocationem minitante, abſoluti. Eadem manuum comploſio, cum capitis in utramque partem levi conquaſſatione, et labris longa ſaliva manantibus, d. 4. et 5. martii obſervabatur. Die 8. martii prandii tempore, ſubito iterum vehemente tuſſi correpta, copioſiſſima ſputa viſcida, magno cum levamine (mentis enim magis compos facta, jam praeteritorum recte reminiſci, et ad quaeſita apte reſpondere potuit) produxit, quae d. 9. et 10. martii, minore vehementia, ſequentibus autem diebus, per vices tantum apparuit. Qualibet nocte d. 11. et 12. martii duobus vehementibus paroxyſmis cum ſpuma ſanguinea, ex ore naſoque propendente, meroque ſanguine, e nare dextra exſtillante, correpta, ſumtis d. 13. martii granis quinque ipecacuanhae, quinquies inſigni cum levamine, magnam pituitae copiam cum bile evomuit, alvumque aliquoties laxam depoſuit. Ab ineunte d. 18. martii ad meridiem usque vehementes dentium ſtridores, et capitis conquaſſationes cum ſpuma ſanguinea, ſaepius expe-

 riebatur,

riebatur, revertente autem d. 19. martii eodem ſtridore cum larga ſpuma, ovum putre redolente, ipecacuanhae parva doſis, d. 20. martii, duos vomitus, ita promovit, ut mentis optime compos, jam paroxyſmi epileptici initium cum ſignis, illum praecedentibus, adcurate indicaret, quod antea nullo modo praeſtare potuerat. Vehemens illa tuſſis, epilepticorum inſultuum tempore exoriens, cum diuturna copioſaque, et interdum uberrima, aquoſo pituitoſorum exſcreatione, d. 23. 28. 30. 31. martii et d. 1. 5. et 8. aprilis, revertebatur. Menſtrua a d. 31. martii ad d. 3. aprilis; item a d. 20-24. aprilis; nec non a d. 19-21. maji rite promanarunt. Lene emeticum d. 4. et 30. aprilis propinatum, inſignem iterum pituitae copiam cum levamine evacuavit. Die 7. aprilis vehementiſſimum epilepſiae paroxyſmum ad faciei livorem usque ſuſtinuit. Die 12. et 25. aprilis a media nocte garriens, interdiu denuo adſtantes exoravit, ut ipſam interficerent; hinc autem longe pacatior, d. 14. et 15. maji paroxyſmorum epilepticorum loco, dextrum tantum brachium ſupra caput inſcienter elevavit. Leves has brachii dextri capitisque a d. 20. ad d. 26. maji, concuſſiones, poſtea ad d. 2. junii, vehementiores factas, lene emeti-


cum

cum rurſus quidem imminuit, attamen aegra ſenſim fere in eundem, quo ante hanc curationem fuerat, ſtatum recidit.

23) C. A. B. x) a d. 16. decembris 1769. quotidie bis tam interdiu, quam nocte, epilepſia ſat vehementer correptus, aſthmaticus, craſſeſcens, mirumque vorax, ob lumborum et coxendicum quemdam dolorem, vix pedibus incedere poterat, cum d. 24. decembris pulvere foliorum belladonnae uti inciperet, cujus ad d. 31. maji drachmas ſeptemdecim cum dimidia, pilularum vero ſcrupulos duos cum dimidio, conſumſit. Hinc tranquille dormiens, modiceque ſudans, d. 26. et 27. decembris levibus ſpaſmis tentatus, ſequentibus diebus paulo melius pedibus incedere poterat, cum dolor ille, lumbos antea et coxendices occupans, jam pedis articulum obſideret, et poſt dies quosdam prorſus evaneſceret. Die 29. decembris et 2. januarii alvus conſueto laxior, cum levamine in dies magis conſpicuo; dieque 5. januarii ſequentibusque magna oculorum hebetudo obſervabatur, quae vero, imminuta belladonnae doſi, brevi ceſſabat. Poſt levem d. 8. et 15. januarii inſultum, horrori tantum febrili ſimilem, obtuſum ſemper dorſi et lumborum

 quen-

x) vid. loc. cit. pag. 309. no. 35.

quendam dolorem percepit; die 18. januarii seqq. magnam urinae copiam, quoad tactum hoc tempore semper frigidus, dimisit, adpetitu ciborum inter haec insigniter aucto. Sat vehementem d. 26. januarii epilepsiae paroxysmum perpessus, sequenti die paulo difficilius pedibus incedens; dieque 3. februarii post leviorem ejusmodi, nauseam quandam percipiens, d. 4. februarii lene emeticum, die 15. martii, repetitum, magno cum levamine sumsit. Duos vehementes d. 17. februarii epilepsiae paroxysmos, vehemens statim dorsi crurumque dolor, cum difficiliore incessu, molestaque corporis anteriora versus inclinatione, insequebatur, die 27. februarii post vehementem ejusmodi paroxysmum magis aucta, cui gravis quoque auditus superveniebat. Die 3. martii oculorum hebetndo revertens, postero die jam rursus imminuta, et brevi dissipata erat. Ceterum hoc mense, duos tantum lenissimos, cum vehementiore epilepsiae paroxysmo, perpessus, bene valuit. Sinistri brachii vero gravitas, die 29. martii accedens, venaesectione, et sudore largo, proxima nocte sponte orto, prorsus evanuit. Sic quoque post parvam d. 1. aprilis deglutiendi difficultatem, brevi dissipatam, optime valuit. Post levem vero die 12. et 17. aprilis epilepsiae accessionem,

denuo

denuo per quosdam dies, de axillae finiftrae, lumborum et pedum doloribus, conquerens, ciborum ingurgitationi femper nimium indulfit. A die 20. maji vero ad d. 1. junii crebrius iterum in epilepfiam incidens, jam in eodem fere, quo ante hanc curationem, ftatu, vix fatiandus, obambulat.

Ex omnibus igitur facile perfpicimus, belladonnae pulverem, pilulasque, nec plura, nec graviora, fymptomata, excitaffe, quam infufum ejus aquofum, ab aliis, medicaminis loco, propinatum. Parva dofis tentaminis initio.

Praeter placidum et reficientem fomnum, quo aliqui (no. 19. 20. 23.) jam primis diebus, longe plures autem fequenti tempore, fruebantur, nihil fere mutare videbatur. Et licet pauci (no. 7. 10. 12. 16. 19.) ex continuato ejus ufu, femel iterumque, in fomnum paulo diuturniorem inciderent, neminem tamen, fumta quoque largiore belladonnae dofi, fomnolentum y) torpidumque confpexi; fed potius feminam (no. 22.), fomno alias plus jufto indulgentem, vigilantiorem, alacrioremque reddidit.

y) vid. THEOD. GERH. TIMMERMANN Periculum Medic. Belladonnae &c. Rintelii 1765. 4. pag. 25.



Sic quoque nullus, belladonna utentium, tentaminis initio, de aucto corporis calore z) conquerebatur, nisi forsitan is, qui (no. 21.) secunda nocte jam insigniter sudans, tertia somniando „omnia domi combusta esse" vociferabatur, corpore nimis incaluerit. Nec unquam in aegrorum examine, horis antimeridianis, pulsum debilem, celeremque a), ab aliis saepius adnotatum, nisi in iis, animadvertere potui, qui (no. 7. 11. 16.) mense martio et aprili, animo dejecto torpidi lecto adfixi tenebantur; postea vero, et in his, et in reliquis omnibus, utplurimum naturalem, plenum, tardum, fortemque deprehendi.

Iterata vero sensimque aucta dosis, haud ita multo post, et

Urinae crebrius, largiusque profluvium quamplurimis (no. 1. 4-8. 11-14. 16. 18-23.); et

Sudoris quoque, plus minus largioris, eruptionem, variis (no. 6. 10-16. 18. 19. 21-23.), sat diu interdum permanentem, excitavit; e quibus etiam

z) vid. THOM. GATAKER Observat. on the Internal Use of the Nightshade. To which is added a Supplem. The fourth Edition 1757. 8. maj. pag. 37.

a) vid. Comment. de reb. in scient. natural. et medic. gestis. Volum. IV. P. II. pag. 264.

etiam femina (no. 14.), post artuum tremores, largum pectoris solius; epileptico maniaci (no. 11. 12.) vero aliquamdiu, frontis tantum, sudorem perceperunt.

Has tandem excretiones proxime excepit, vel etiam interdum antecessit, alvi notabilis quaedam laxitas (no. 1. 3. 8. 13. 18. 19. 23.), et subinde per totum curationis decursum conspicua, vel etiam levis quaedam diarrhoea (no. 1. 6. 9. 11. 14. 16. 18. 19.), brevi plerumque transiens; quae tamen, licet semel tantum (no. 14.), cum capitis calore, aliquamdiu alternabat. Alvi constipatione autem satis notabili, bini tantum (no. 12. 14.) per quosdam dies laborarunt, cum reliqui alvum utplurimum naturaliter apertam quotidie haberent.

Ciborum adpetitus interea, utut varius, utplurimum tamen, egregie viguit. Plures quidem (no. 1. 4. 10. 12. 14. 17. 18. 20.) ad breve tempus imminutum, vel depravatum; et pauciores (no. 11. 16.) aliquamdiu prorsus deletum, perceperunt; alii vero interdum etiam insigniter aucto fruebantur.

De oris amaritie paucissimi (no. 8. 14.) tantum; de nausea vero, vomituritionibus, ructibusque plures (no. 2. 3. 6. 8. 10. 12-17. 19. 23.) conquerebantur;

bantur; nonnulli (no. 1. 4. 5. 8. 11. 14. 16. 18.) etiam vomitus spontaneos, et plerumque pituitosos, experti sunt, e quibus adolescens (no. 11.) solus, jam a belladonnae usu remotus, bis tantum pituitam viridescentem sponte vomuerat.

Leviora quoque, inter belladonnae usum, ventris tormina haud pauci (no. 1. 3. 4. 6. 8. 11. 12. 14. 16. 18. 20.) perceperunt; inter quos epileptico maniacus (no. 18.) de ventriculi pressione, proinde ac si lapis intus haereret; et puella (no. 9.) de obtuso tantum ventris dolore conquerebantur.

De parva oris siccitate, plures saepius adficiente, juvenis (no. 8.) inprimis conquestus est. Alii autem sitim (no. 1. 5. 10. 12. 14. 16. 19. 22.), et interdum sat intensam, sentiebant, inter quos (no. 12. et 16.) praecipui sunt. De saliva viscida, palato et faucibus b) subinde copiosius adglutinata, juvenis (no. 4.) solummodo conquerens, cum aliis etiam (no. 3. 8. 19.) salivationem quandam, plus minus conspicuam, neque tamen ultra modum auctam, expertus est. Idem quoque (no. 4.) cum adolescente (no. 23.) deglutitionem aliquamdiu parum

b) vid. Comment. de reb. in sc. nat. et med. gestis Vol. XI. Part. II. pag. 259.

parum impeditam fenfit, dum femina (no. 10. de raucitate, et puella (no. 6.) de faucium dolore, paulo poft ventrem occupante lenique diarrhoea foluto, conquerebantur.

Paucis ex belladonnae ufu caput doluit. Si enim illos, quibus (no. 4. 8.) dolor ifte jam dudum familiaris fuerat, excipiamus, non nifi quatuor (no. 10. 15. 17. 18.) reftant, quibus ifte aliquamdiu moleftus fuit. Plures autem levi tantum brevique tranfeunte vertigine (no. 1 - 3. 9. 14. 15. 18. 20.) adficiebantur. Quidam (no. 15. 18. 19.) capitis obnubilationem fenferunt, inter quos femina (no. 14.) brevi tempore temulenta confpiciebatur. Auditus gravitas adolefcentis (no. 23.) auriumque fufurri puellae (no. 9.) cum ventorum ex aure finiftra explofione, procul dubio huc etiam referri debent.

Oculis autem perplures aegrotarunt. Praeter juvenem enim (no. 1.) de oculorum ardore; et virginem (no. 5.), de oculorum preffione, ut ab infperfis arenulis, conquerentes; bini quoque (no. 1. 4.) oculorum dolorem; totidemque (no. 3. 19.) oculorum rubedinem quamdam fentiebant. Longe plures autem, matutino praefertim tempore, de infigni oculorum hebetudine, cum notabili pupillae dila-

dilatatione (no. 1 - 3. 5. 8. 14. 15. 17 - 20. 23.), plus minus diu manente, conquerebantur; dum adolescens (no. 11.) post belladonnae usum, vera demum caecitate, per tres septimanas, laboravit. Nullus tamen horum omnium visus quoddam vitium retinuit.

Belladonnae usus omnes fere, inprimis tamen (no. 2. 5. 7. 11. 16. 19.), tentaminis initio, jam pallidos facie reddidit. Plures quoque frigoris atque horroris sensum, vel epilepticorum insultuum loco (no. 1. 11. 23.), vel alia occasione (no. 14. 19. 20.) perceperunt. Inter quos viri (no. 12.) diuturna nasi frigiditas; adolescentis (no. 11.) genarum frigus, cum frons esset calida aliusque (no. 23.) totius corporis, quoad tactum, frigiditas, inprimis notari merentur.

Caloribus autem volaticis, pauci tantum (no. 1. 12. 18.), et quidem, praeter juvenem (no. 1.) belladonnae usui jam dudum adsueti, adficiebantur. Febricula autem non nisi feminae (no. 3. et 20), brevi tempore; et quidem illa, cum subsequente faciei erysipelatoso, haec autem, cum dolente gingivarum tumore, laborarunt. Cum vero complures alii, et in aedibus nostris, et in oppido ac circumjacentibus pagis eodem tempore, belladonna neutiquam utentes, iisdem faciei tumoribus



ribus laborarent, huic remedio, nec hos, nec febriculam adſcribere licet.

Faciei autem rubori, quem Cl. TIMMERMANN c), quod ego ſciam, primus obſervavit, quemque femina (no. 14.) jam e ſtramonii uſu d) aliquoties experta erat, tres tantum, quos ſupra commemoravimus (no. 11. 12. 14.) aegrorum, obnoxii fuerunt. Hoc phaenomenon autem nequaquam tentaminis initio, ſed belladonnae uſu jam diu protracto (no. 12. 14.), et ab adoleſcente (no. 11.) jam dudum intermiſſo, comparuit. An vero diſparentem faciei ruborem formicationis ſenſus exceperit, id ideo certo adfirmare non poſſum, quia feminae (no. 14.) idem ſenſus jam dudum familiaris fuerat, reliqui autem (no. 11. 12.) tunc temporis ſenſationes ſuas verbis indicare neſciebant. Májorem vero iſtam mulieris (no. 3.), ut et minorem illam juvenis (no. 19.) faciei rubedinem, cum inflatione quadam conjunctam, prioribus vix adjungere licet, cum ſemel tantum, et a peculiari cauſſa, tam ortae, quam diſſipatae videantur.

Sic

c) vid. loc. not. y. citat. pag. 24.

d) Adverſ. Med. Pr. Vol. I. P. II. pag. 302.

Sic quoque belladonnae usus, nullum ab initio curationis anxium e) reddidit, nisi forsitan epileptico maniacum (no. 21.) huc referre velimus. Postea vero quatuor aegros in tantas (no. 13. 14. 16. 22.) praecordiorum anxietates conjecit, ut, cum nescirent, quorsum aufugerent, in suum corpus saevirent, vitaeque finem conarentur quovis modo accelerare. Respiratio tamen caeterum libera permansit, nec ullus praeter juvenem (no. 4.) de paulo difficiliori, ipsi alias non inconsueta, per aliquot dies conquestus est.

Menstrua, ex hujus remedii usu, parum mutata deprehendimus. Feminae enim (no. 2. 5. 9. 20.) regulari catameniorum fluxu, per totam curationem, gavisae sunt. Quibusdam (no. 6. 15. 17. 22.) menstrua quidem, et plerumque cum insigni morbi augmento, plus minus tardabantur, sed eo largiora quoque postea promanabant; cum aliae no. 3. 14. 22.) eadem plerumque justo citiora, et priores (no. 3. 14.) largiora quoque, experirentur; et posteriores etiam (no. 14. 22.), licet aetate provectiores, narium haemorrhagia plus minus allevarentur.

Bella-

e) TIMMERMANN loc. cit. pag. 10. et 14.

Belladonnae effectibus forsan etiam, cum alii similia observaverint, adscribendi videntur dolores illi rheumatici,

1) lateris (no. 3. 8.)

2) pectoris punctorii (no. 11. 18.)

3) brachii et scapularum (no. 8. 14. 23.),

4) lumborum et coxendicum (no. 3. 15. 18-20. 23.), ut et

5) ab his derivanda incessus f) difficultas (no. 20. 23.), quam tamen adolescens (no. 23.) ex stramonii g) usu jam contraxerat. Quorsum etiam paralysin temporariam adolescentis (no. 11.) juvenisque (no. 13.), belladonnae usu jam dudum intermisso, modo hanc, modo illam partem aliquamdiu occupantem, jure referendam censeo.

Cum scabies puellae (no. 6.), tentaminis initio jam erumpens, belladonnae usui vix adscribenda videatur; aliis dijudicandum relinquo, num maculae istae obscure rubentes minimae, planae, irregulares, angulosae, et nequaquam supra cuticulam elevatatae, juvenis (no. 19.) post subitum horrorem in templo ortae; nec non pustula feminae (no. 15.) prope

f) Commentar. de reb. cet. loc. not. b) citato.

g) loc. cit. pag. 310. seq.

prope unguem digiti indicis manus dextrae, d. 23. aprilis, orta h), pro magnitudinis ratione magnam seri acris copiam fundens, et paucorum dierum spatio penitus sanata; effectus hujus remedii haberi possint?

Utut vero res se habeat, belladonna tamen inflammatoriam quandam dispositionem humoribus nostris vix inducere i) videtur. Sanguis quidem, juvenis absentis (no. 8.), ut ab aliis audiveram, tenui crusta inflammatoria obductus, dicebatur, mihi ipsi vero ejusmodi crustam in nullo alio, belladonna utente, conspicere licuit. Sanguis potius quatuor juvenum virorum, (no. 4. 12. 13. 19.), qui in flore aetatis erant, durante belladonnae usu, e vena emissus, post quarumdam horarum, in loco frigido, quietem, obscurioris paulo coloris k), magna supernatantis seri copia praeditus, nec satis coagulatus; et in reliquis plerisque (no. 1 - 3. 5. 9. 14. 15. 17. 18. 20 - 23.) egregie rubicundus, justa seri

copia

h) Journal de Medecine &c. Tom. XIV. Janvier 1761. pag. 19.

i) vid. Ill. de HAEN Rationem Medendi Pars II. Vindobon. 1757. pag. 45. et seq.

k) cf. TIMMERMANN loc. cit. pag. 29.

copia inſtructus, denſus, ſaniſſimusque conſpiciebatur. Sic quoque vulneri capitis colliſo, et ad cranium usque inciſo, feminae (no. 3.), ut et femori dextro adoleſcentis (no. 11.) die 4. aprilis, bulliente fervidiſſima cereviſia longe lateque aduſto, nec ſolito majorem inflammationem, nec copioſiorem ſuppurationem excitavit. Prius enim die 10. maji, et poſterius d. 28. aprilis, penitus ſanata erant.

Haec omnia autem ſatis evincunt, belladonnam notabili ſopiendi, nec forſitan minore reſolvendi vi, et inſigni acrimonia praeditam eſſe, quibus humores, continuato uſu, quodammodo reſolutos, partim verſus colatoria ſe- et excretoria majore copia allicit, partim vero verſus ſuperiora potiſſimum propellit; et, dum nervos capitis, et alimentorum canalis, peculiari ratione adgreditur, hinc ſpaſmos, illinc vero atonias variarum partium temporarias, et interdum ſat diu relinquit.

Sic enim, ſi ipſam epilepſiam ſpectes, varias exinde mutationes ortas eſſe perſpicimus. Capitis in utramque partem conquaſſationes (no. 5. 6. 14. 22.); ſingultus duarum (no. 6. 14.) feminarum; oſcitationes crebrae (no. 14.) creberrimaeque, et



interdum ad livorem (no. 13.) faciei usque; una cum tuſſi, acceſſionum epilepticarum tempore, convulſiva, ſicca (no. 6. 12. 22.), et interdum cum uberrima pituitae exſcreatione (no. 22.) conjuncta, merito huc referri debent. Majorem vero attentionem merentur, paroxyſmorum epilepticorum mutationes ipſae (no. 1. 5. 11. 13. 15 - 17. 22.); quorſum, eorumdem loco tremor artuum (no. 1. 14.) tantum, ſpaſmi extremorum, tam ſuperiorum (no. 6. 14. 17. 18. 20. 22.) quam inferiorum, et interdum adeo leves, pertinent, ut, cum plenaria mentis praeſentia (no. 6.) conjuncti, epilepticis acceſſionibus veris ne adnumerari quidem poſſint.

Ut autem conſtitui poſſit, quid hujus remedii uſus, in epilepſia habituali, boni, et mali, praeſtiterit, optimum eſſe duxi, ſeptemdecim aegrorum, qui, extracto ſtramonii anno ſuperiori uſi erant, diverſa utriusque curationis tempora, cum paroxyſmorum epilepticorum, tam fortiorum, quam leviorum numero, collecta, in tabulam conjicere. Ex qua

Bella-

Belladonna. Stramonium.

	Aegror. Numer.	Belladonna Curation. Dies.	Paroxysmor. fortior.	Paroxysmor. levior.	Paroxysmor. Summ.	Stramonium Curation. Dies.	Paroxysmor. fortior.	Paroxysmor. levior.	Paroxysmor. Summ.
Histor.	2	73	21	36	57	97	6	72	78
	3	113	16	21	37	94	11	10	21
	5	99	25	35	60	91	23	18	41
	6	120	8	65	73	106	10	31	41
	7	151	2	19	21	100	15	-	15
	9	120	4	57	61	95	15	59	74
	10	121	12	39	51	66	7	8	15
	12	158	90	13	103	62	12	6	18
	14	162	3	6	9	142	4	6	10
	15	133	7	21	28	142	6	5	11
	16	182	14	12	26	50	22	-	22
	17	156	8	47	55	108	5	29	34
	19	139	23	46	69	90	11	33	44
	20	156	9	35	44	131	16	23	39
	21	182	9	25	34	94	13	3	16
	22	158	33	67	100	120	16	26	42
	23	158	10	16	26	127	8	7	15

patescit, aegros sub (no. 2. 3. 5. 12. 15. 17. et 22.) respectu epilepsiae nullam allevationem, sed potius morbi, ratione vehementiae, vel frequentiae, vel utriusque, augmentum quoddam; aegrum (no. 19.)

ratione vehementiae paroxyſmorum, notabile augmentum; (no. 6. 10. 21. et 23.) vero majus minusve morbi augmentum, ratione frequentiae paroxyſmorum, ex belladonnae uſu percepiſſe. Aegros contra (no. 6. 10. et 21.), ratione vehementiae; et (no. 7. 9. 14. 16. et 20.) tam ratione frequentiae, quam vehementiae, plus minus, allevatos eſſe.

Cum plerique horum aegrorum, ab epilepſiae diuturnitate, mente inſimul jam inſigniter debilitata, vel prorſus alienata laborarent, quosdam interdum loquaciores (no. 6.) factos, ejulaſſe (no. 17.), ſine ratione riſiſſe (no. 5. 17. 22.), cantaſſe (no. 17. 18. 22.), plus minusve deliraſſe (no. 4. 5. 11. 15. 16. 13. 20.), vel prorſus furioſos (no. 4. 12. 17. 18.) factos eſſe, nemo forſan mirabitur. Quodſi vero flocculorum lectio, cum capillorum evulſione (no. 16.); ſaevities, quam aliqui (no. 12. 13.) in ſuam faciem, vel abdomen, pugnis exercuerunt; ſtupidique adoleſcentis (no. 11.) amentia, quemdam magis terrerent: ex praecedentibus tamen patet, haec omnia temporaria tantum fuiſſe, aliosque contra ſumme furioſos (no. 7. 12. 16. 17. 20 - 22.) hujus remedii beneficio, mentis magis compotes factos, liberio-

liberiorem rationis uſum, partim ad hunc usque diem, retinuiſſe.

Moleſta autem haec, aliaque, inter belladonnae uſum, ſubinde orta ſymptomata, ut v. c. capitis obnubilationes, vertigines, oculorum caligines, faciei rubores, tuſſes, anxietates cet. imminuta doſi, brevi plerumque, ceſſant, utpote qua iſtorum reditus optime praecaveri poteſt. Ea vero, quae belladonnae uſu jam intermiſſo, interdum, licet rarius, comparere ſolent, ut v. c. caecitas, paralyſis, et creberrimi, quamquam leviores, variarum partium, cum mentis plenaria alienatione, ſpaſmi, per roborantia cardiacis nupta, optime, feliciſſimeque fugata ſunt. Generatim vero, minor belladonnae doſis, in quolibet tentamine ſuadenda, nec ſine ratione cito nimis augenda erit. Licet enim Cl. GATAKER l) conſilium, ſecunda qualibet, vel tertia demum nocte, unum vel duo grana belladonnae propinandi, in hujusmodi indomabilibus morbis, utique nec ſufficiens, nec ſatis efficax videtur; magnam tamen, menſe februario et martio inprimis, exhibitam doſin, brevi iterum imminui, ita, ut poſtea rarius cuiquam, plus quam tria, vel ad ſum-

l) loc. cit. pag. 74. ſeq.



ſummum quatuor grana, viginti quatuor horarum ſpatio exhiberem, quae mihi etiam, pro cujuslibet aegri morbique conditione, ſatis ſuperque eſſe videntur.

Quamvis igitur belladonnae uſus nullum ex iis aegris, quorum modo mentionem fecimus, a morbo prorſus liberavit, allevatio tamen, haud raro ſatis conſpicua, quam nonnullis, non ſolum in imminuenda epilepſia habituali, ſed etiam in mitiganda tollendaque mentis alienatione, praeſtitit, ſperare jubet,

Parvam hujus remedii doſin, ejusmodi aegris, tuto, et cum levamine, exhiberi poſſe.



IV. Tra-

IV.

Tractatio de doloribus ad ſpinam dorſi.

Cogitanti mihi de gibberoſitate, ceu morboſa ſpinae dorſi diſtorſione, cum aliarum quoque partium corporis humani perverſo ſitu conjuncta, nonnulla de aliis quoque hujus ſpinae affectionibus morboſis praecipue de ſpaſmis et doloribus, ad eam ortis, ſimul in mentem venerunt, omnibusque recte penſitatis, ad univerſam hanc doctrinam accurate pertractandam id maxime pertinere cognovi, ut, antequam commentationem de gibberoſis jam delineatam ulterius elaborarem, hanc de doloribus, ad ſpinam dorſi ortis, praemitterem, quod praeter conſiderationem fabricae ſpinae dorſi, variae gibberoſitatis cauſſae ex hoc dolorum examine plenius intelliguntur. In hac autem doctrina tradenda ita verſabor, ut mechaniſmo ſpinae dorſi in univerſum conſiderato, non nulla de colicis, febrilibus, aliisque doloribus ſymptomaticis, ad lumbos praecipue natis, praemittam, dein vero ad idiopathicos magis dolores ſive ſpaſticas totius ſpinae tenſiones progrediar, quae in ſanis ſaepe hominibus poſt immoderatos corporis niſus oriuntur et utplurimum ad luxationes et ſubluxationes vertebrarum referuntur,

revera tamen ex flatulentis, ligamentoſis et muſculoſis tenſionibus declarari et poſſunt et debent. Quibus omnibus in cauſſis et ſymptomatibus indeque petitis ſignis conſideratis, ad extremum nonnulla auxilia et remedia in doloribus his obortis adhibenda recenſebo et dijudicabo.

Univerſa ſpina dorſi ex oſſe ſacro cum oſſis coccygis appendice et ſerie viginti quatuor vertebrarum compoſita, oſſibus coxarum ita infigitur, ut a mobilibus extremitatibus inferioribus, quibus inferior trunci pars inſiſtit, feratur, ſurſum vero extenſa columnam referat, cui abdomen et thorax cum viſceribus contentis et extremitates ſuperiores annectuntur. Ipſum vero caput primae vertebrae impoſitum non ſolum ſuſtinetur, ſed pariter atque dorſum et humeri oneribus ferendis idoneum redditur.

Spina dorſi vero in ſtatu ſano et erecto corporis ſitu recta eſt, ita ut a ſummo vertice per mediam corporum vertebrarum et oſſis ſacri partem linea perpendicularis duci poſſit, ea tamen propter commodam corporis flexionem et motum ab anteriori et poſteriori parte varie flectitur. Superior enim pars oſſis ſacri baſin aequalem ſiſtit, a qua corpora vertebrarum lumbarium non nihil antrorſum,

ſum, et, ad dorſi vertebras aſcendendo non nihil retrorſum cedunt, et moderata hac curvitate in dorſi vertebris continuata in progreſſu ad vertebras colli antrorſum, in his ultimis tamen non nihil retrorſum vel recta magis vertuntur et aſcendunt. Pro vario igitur cubantis, ſedentis et erecti hominis ſitu columna vertebralis mobilitatem admittit, quae directionem principem parum mutat. Longe autem major mobilitas in ea conſpicitur, ſi in motibus variis antrorſum, retrorſum et ad latera valide inflectitur, et non ſolum in partibus ſuis varie torquetur, ſed etiam ſuper extremitates inferiores in acetabulo oſſium coxarum articulatas cum baſi trunci diverſe movetur.

Haec ſpinae dorſi mobilitas non tantum per plurimas partes, ex quibus ea componitur, ſed maxime ex nexu corporum vertebrarum, per interpoſita ſtrata cartilagineo-ligamentoſa ſumme elaſtica, efficitur, quippe quae in motibus variis compreſſioni cedunt et modice iterum reſiſtunt, interdiu etiam compreſſa noctu iterum extenduntur, inprimis ſi hominis cubantis ſitus extenſus reſtituendo elateri fibrarum faveat, et pandiculatio matutina, praeter alia commoda, quae in motu muſculari affert, elaterem cartilaginum intervertebralium

etiam juvat, et ex hac quoque parte vigorem corporis inſtaurat.

Minime vero ſufficeret ordinata et ſucceſſive verſus ſuperiora decreſcens corporum vertebrarum magnitudo ad firmitatem ſpinae conciliandam, in ea enim aeſtimanda proceſſus, ad annulum quaſi retrorſum adhaerentem affixi, magis attendendi ſunt. Etſi enim transverſorum et ſpinoſorum uſus in ligamentorum et muſculorum adhaeſionibus praecipue cernitur, in his tamen, ſed in articularibus potiſſimum, firmitas quoque ex nexu et ſitu partium columnae vertebralis cognoſcitur. Proceſſus nimirum articulares in lumbis utrinque ſe magis complectuntur, et nimias ad latera diſtorſiones coercent; in thorace vero imbricatim ſe invicem magis tegunt, et flexum antrorſum et retrorſum per annexas thoraci coſtas non nihil limitatum, in variis incurvationibus et extenſionibus corporis egregie moderantur; in collo autem plane contigua et quodammodo declivia referunt, accedentibus aliis adminiculis, firmata.

Haec ſpinae dorſi fabrica ad mobilitatem et firmitatem egregie conſervandam accommodata vel ex oſſium exſiccatorum figura ſatis declaratur, ſi tantummodo in vero ordine et ſitu ſibi invicem coordinentur. Sed major accedit firmitatis vis in liga-

ligamentis et mobilitatis praeſtantia in muſculis, quibus profecto auxiliis in validis etiam corporis motibus oſſa conjuncta parum tantum, et rariſſime vel nunquam ex vero ſuo ſitu plane removentur. Quamquam vero omnia, quae de ligamentis et muſculis ab exercitatiſſimis anatomicis propoſita ſunt, longius repetere et enarrare, hujus tractationis ratio non patitur, nonnulla tamen, quae hanc doctrinam omnino illuſtrent, ſummatim modo indicare, inſtituto huic noſtro conſentaneum exiſtimo.

Ad ligamenta itaque quod attinet, ea tantum repetam, quae ſunt ad corporum vertebrarum firmitatem conciliandam compoſita. Cartilagines enim ligamentoſae inter corpora vertebrarum poſitae, quae ligamenta intervertebralia appellantur *) in exteriori et anteriori corporum vertebrarum ambitu ſtrata fibrarum tendinearum, oblique ſe invicem decuſſantia, ab una ad alteram vertebram deferuntur, ex quibus interiora ad majorem obliquitatem accedunt, et circularia magis videntur, ſub quibus tandem, quaſi in centro fibrarum circularium maſſa gelatinoſo-mucoſa plus minus denſata haeret. Attendendum quoque eſt ligamentum commune

*) Confer. IOSIAE WEITBRECHT Syndesmologia p. 103 ſeqq. Tab. XII.




mune anterius omnium vertebrarum *) quod in anteriori ſpinae dorſi parte deſcendit, et ibi tenuius eſt, ubi major inflexio columnae vertebrablis fieri ſolet. Etſi itaque in lumbis tendines, a cruribus diaphragmatis dimiſſi, accedunt, in illis tamen ſtratum anterius ſive faſcia longitudinalis anterior tenuior eſt Huic quidem alia et poſterior accedit faſcia ſive ligamentum commune poſterius, quod hic accurate conſiderare nil attinet.

Quemadmodum autem in maſſa cartilagineo ligamentoſa vel fere gelatinoſa ligamentorum intervertebralium, tanquam in molli matrice, corpora vertebrarum, nucleorum inſtar, haerent, in iis creſcunt, et ſubinde ad aliquam planitiem deferuntur, ſic etiam in marginem non nihil acutum et eminentem exſurgunt majorem in iis, qui corpora in adoleſcente aetate valide exercent, minorem in deſidi vitae genere detentis. Ex qua re etiam exoſtoſes, in ſpina dorſi enatae et a nobis impoſterum examinandae, accuratius declarari poterunt.

Quoniam vero thorax et abdomen non ſolum, ſed etiam artus ſuperiores et tandem moles capitis ipſa ſpinam antrorſum ducunt, et in naturali etiam ſtatu et erecto alias ſitu non nihil inclinant, muſculi,

*) l. c. pag. 96. ſeqq. Tab. X.



musculi, qui spinam extendunt et retinent, adeo validi sunt, ut non solum molem viscerum et reliquas partes annexas, sed et accessoriam onerum gerendorum et movendorum molem sustineant et levent. Surgit enim ex posteriori parte ossis sacri et coxis conjunctis massa carnosa variis stratis ad vertebras et collum usque, et lateraliter ad costas retrorsum flexas, annexa, qua spina dorsi regitur, et non tantum in erecto situ retinetur, verum etiam, necessitate id exigente, non nihil retrorsum extenditur, eaque non solum, sed et omnia, quae ei annexa sunt, in lateralibus motibus diriguntur. Huic autem tam validae musculorum actioni duo accedunt commoda, unum a partiali divisione et incremento stratorum accessoriorum, alterum a fasciis, musculosa strata coercentibus, quae nunc in universum dijudicanda sunt.

In depresso quidem inter spinosos et transversos processus loco multifidus spinae musculus, ab osse sacro oriundus, stratis suis articulares processus tegit et non tantum retrorsum, sed quodammodo etiam ad latera vertebras movet. Laterales autem motus magis dirigunt spinalis et semispinalis dorsi, quibus omnibus super impositi

sunt



ſunt longiſſimus dorſi et ſacrolumbaris muſculi, quorum initia craſſa in imo dorſo naſcuntur et ita per lumbos aſcendunt, hic tamen maximam partem conjuncti, in aſcenſu vero in parte poſteriori thoracis partim in vertebras, partim in coſtas inſeruntur, et ubique novis ſtratis acceſſoriis magis firmantur, donec ad collum accedentes non ipſis tantum finibus ſuis, ſed per muſculos varios novos acceſſorios hanc partem ſumme mobilem dirigunt, et extendunt, ad extremum firmant caput, aliis craſſis ſtratis ad occiput deductis. *)

Jam vero ſi faſcias muſculoſas a ſpinoſis praecipue proceſſibus ad ſcapulas, thoracem et abdomen dimiſſas ſummatim contemplamur, alias minoris, alias majoris uſus in coercendis ſtratis longitudinalibus deprehendimus. Etſi vero transverſus abdominis nihil, obliquus internus vero aliquid in ortu ſuo ad conſtringendas carnes, in lumbis ſitas, conferunt, hoc in loco tamen latiſſimus dorſi, obliquo interno adhaerens, ob ſtrata carnoſa ab imis coſtis deducta, humero, cui inſeritur, levato et antrorſum extenſo, non ſolum inferiorem partem thoracis dilatare, ſed etiam longitudinales dorſi carnes coer-

*) Confer. B. S. ALBINI tabulae myologicae, inprimis. T. XV. cum relatione ad VI. VII. et VIII.

coercere juvat. Atque ita etiam res ſe habet cum cucullari et rhomboideo, muſculis in ſcapulam inſertis, ad carnes, in dorſo aſcendentes, coercendas, qui prima quidem ſpecie parum valere videntur; quod ſi vero ſcapula cum extremitatibus ſuperioribus antrorſum ducta eſt, hunc uſum vere habent *)

In hac autem re potiſſimum declaranda ad ſerratos poſticos ſuperiorem et inferiorem maxime reſpiciendum eſt. Ille enim, ex ſpinoſis proceſſibus oriundus, ſuper muſculos aſcendentes ducitur et ad coſtas ſuperiores inſeritur; at hic, ex communi tendine cum latiſſimo dorſi productus, coſtis inferioribus affigitur. Horum itaque in thorace ampliando inſignis uſus et tunc potiſſimum eſt, ſi inſpirationis motus diutius continuari debet. Si enim vel ſuperiores, coſtas ſuperiores non adeo levant, nec inferiores, coſtas inferiores deprimunt, tamen cum extrorſum movere tentant, amplitudinem thoracis vere efficiunt: Quod ſi igitur, durante hac inſpiratione, ſpina dorſi vel fixa retinenda vel amplius extendenda eſt, tunc tractus fibrarum longitudinalium et omnium ſtratorum laterales etiam motus quodammodo dirigentium ita coercentur, ut actiones

nes

*) l. c. tab. XIII. XVII. et XVIII. cum relatione ad tab. V. et VI.

nes conjunctae per tempus ſat diuturnum continuari queant. *)

Indicarunt hoc obiter IOH. RIOLANVS **) et ADRIANVS SPIGELIVS ***) et acceſſorius horum muſculorum uſus a recentioribus myographis confirmatus eſt. Eundem tamen non conceſſit WINSLOVIVS †) cum partes muſculorum longitudinalium his faſciis non tectae, hoc auxilio, ſi aliquod eſſet, quoque indigerent. Etſi vero ſtrata tendinoſa, non muſculoſa utrumque ſerratum poſticum in dorſo intercurrentia et ab ALBINO indicata ††) ad hos uſus magis infirma et celluloſa tantum videantur, in motibus tamen ſummi thoracis et inter thoracem et lumbos hanc faſciarum conſtrictionem maxime requiri, et hoc commodum in motibus ſpinae validioribus ab artificioſiſſima hac fabrica pendere, perſuaſum habemus, et ſuo loco incom-

*) l. c. tab. XVII. cum relatione ad VI.

**) In Anthropographia lib. V. cap. 21. Edit. Opp. Lut. Pariſ. 1649. p. 322.

***) De Hum. Corp. fabrica. lib. IV. cap. 8. Edit. Venet. 1624. fol. p. 112.

†) Vid. I. B. WINSLOW Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain. Traité des muſcles. §. 1157.

††) Hiſtoria muſculorum. lib. III. cap. V. p. 351.

incommoda in doloribus spinae dorsi explicandis accuratius indicare poterimus.

Quamquam vero de vasis arteriosis et venosis eorumque nexu quaedam moneri possent, ampliorem tamen descriptionem non postulant, quod pauca, quae argumentum nostrum concernunt, passim adspergi possunt; praecipuorum vero nervorum directiones et plexus, cum in caussis spasmorum recte dijudicandis omitti nequeant, in universum hic declarandi sunt.

Spinalis medulla, ex oblongata ideoque ex encephalo descendens, in medio canali spinae dorsi haeret et nervis suis utrinque ex foraminibus intervertebralibus dimissis, cum multis et praecipuis corporis humani nervis conjungitur; propterea dolores, ex aliis quoque caussis oriundi, ad hanc medullam spinalem transferuntur. Neque vero sufficit, has tensiones ex universali nervorum nexu declarare, sed specialis potius nervorum conjunctio debet attendi. Quemadmodum enim ex calva ipsa deducti nervi sensibus et motibus partium, ad sensus pertinentium, potissimum dicati sunt, sic spinalis medullae nervi fabricam musculosam totius corporis, inprimis in validis superiorum et inferiorum extremitatum, motibus regunt, ita ut et phrenici ipsi et accessorii WILLISII inde deriventur. Quinti pa-



ris ramificationes longius productae et dura nervi acustici portio sive sympathicus minor, ramis per faciem et confinia colli extensis, consentientes spasmos in variis vitae incommodis declarant, neque ideo generali a nobis declaratae divisioni adversantur. Nervi vero paris octavi, vagi dicti, vel sympathici medii nomine insigniti, ex calva egredientes, praecipui sunt, qui per organa et viscera, colli, thoracis et abdominis deducuntur, non tamen per se, sed in multiplici nexu cum nervo intercostali, consentientium motuum et spasmorum caussa sunt.

Nervus autem intercostalis, sive symphathicus magnus omnem ferme in motibus et spasmis consensum explicare videtur. Ejus origo dubia quidem est, nexus tamen cum omnibus nervis medullae constans et certus, mechanismus in tot gangliis singularis, conjunctio in plexibus cum aliis nervis inprimis cum pari vago evidens, ita ut cum omnibus ferme reliquis nervis conjunctus, attentionem in motibus symptomaticis omnino exigat. Quamquam autem haec cuncta a nobis copiosius explanari nequeunt *), tamen pauca de nexu abdominali in memoriam revocare juvat.

Nervus

*) vid. WINSLOW Traité des nerfs §. 357. seqq. et BARTHOLOMAEI EVSTACHII tabulas anatomicas tab. XXVIII. et XXIX.

Nervus quidem intercoſtalis ad univerſam ſpinam deſcendit, praeterea autem in dorſo ramos introrſum ad corpora vertebrarum collaterales dirigit, ex quibus confluentibus nervus collateralis ſive ſplanchnicus oritur, qui in nexu cum pari vago et in formando ganglio ſeu potius plexu ſemilunari praecipue, quamquam et in reliquis plexibus, vim abdominalium viſcerum in tot functionibus dirigit, et evidentiſſimum nexum cum nervis ſpinalibus tradit, cujus accuratior diſquiſitio varios motus ſpaſticos in morbis explicandis illuſtrare poterit. Inprimis vero tenendum eſt *), filamenta dorſalium, cum nervo intercoſtali in pectore conjuncta, tenuiora eſſe, etſi nervus ipſe ibi craſſior ſit, et nervum quoque collateralem formet; ſub diaphragmate vero, ubi nervus intercoſtalis magis ſupra corpora vertebrarum deſcendit, filamenta ex lumbaribus communicantia majora eſſe, licet nervus ipſe minor videatur. Ex quo phaenomeno tantum hic concludere liceat, conſenſus tenſionum in morbis ſpaſticis hac in parte evidentiores fieri.

Atque haec ſunt praecipua, quae, antequam ipſam tractationem ingrederemur, ex anatomicis de oſſea, ligamentoſa et muſculoſa fabrica itemque

 de

*) vid. WINSLOW, l. c. §. 428.



de nervorum nexu in universum praemittenda, putem. Cum vero de doloribus ad spinam dorsi idiopathicis praecipue nobis agendum sit, digressionem ad varios symptomaticos dolores non evitare potuimus. Quam ob rem nonnulla Auctorum nomina, quibus dolores, ad dorsum natos, insignire solent, examinare volumus.

Ac primum quidem morbus noster vi vocis rhachialgia appellari posset, cum ῥαχὶς spinam dorsi et ἀλγέω doleo denotet. Cl. SAUVAGES tamen hunc morbum in consideratione dolorum *) ad colicam refert et colicam Pictonum, saturninam et alias, ab Auctoribus in morborum indicibus traditas, ut synonyma, recenset, quoniam Cl. ASTRUC, licet ex hypothesi, ejus caussam ex nervis medullae male affectis declarat. Existimavi igitur, nostrum morbum ad lumbaginem a Cl. SAUVAGES declaratam referri debere. **) Etsi enim hanc in universum ad varias acrimonias, ex abdomine ortas, quando stimuli ad lumbos et dorsum proserpunt, referat, ideoque varios quoque dolores symptomaticos huc pertinere

*) Confer FR. BOISSIER DE SAUVAGES Nosologiam methodicam tom. III. part. 1. de doloribus. class. VII. ord. V. no. XXIX. pag. 196.

**) l. c. no. XXX. et species 10. pag. 209.

tinere dicat, tamen cum idiopathicum dorſi dolorem tantum in ſpecie decima, quam lumbaginem a niſu, *effort de reins*, appellat, commemorat, lumbaginem recte cum aliis Auctoribus ad ſymptomaticos ſpinae dolores referre debui.

Cum etiam Cl. DELIVS dolores ad dorſum ex varia cauſſa catarrhali febrili, colica cet. conſiderandos ſuſcepiſſet *), is, quia nec rhachialgiae, nec lumbaginis nomen ex noſologia Sauvagaea adoptare voluit, notialgiam a νωτὸς dorſum et ἀλγέω doleo appellavit. Inſpeximus etiam hoc conſilio diſſertationem de ſpaſmo fixo PARACELSI, quam Cl. GEBAVER propoſuit **) qui vagum hoc, nec ſatis definiendum PARACELSI nomen, doloribus ad dorſum, inprimis ex cauſſa haemorrhoidali natis, tribuit. Haec et alia, quae paſſim ab Auctoribus traduntur, ulteriori Lectorum disquiſitioni relinquimus et ad brevem de ſymptomaticorum dolorum ad ſpinam dorſi tractationem accedimus.

*) vid. Diſſ. de Notialgia ſeu dolore dorſi eoque vario. Praeſide H. F. DELIO propoſuit P. H. Woerner Erlangae 1765. 4to.

**) vid. Diſſ. de ſpaſmo fixo PARACELSI Praeſide C. S. GEBAVER propoſuit. I. F. S. Doll. Erlangae 1746. 4to.




Dicamus autem primum de colicis doloribus, quippe qui non ſolum zonam coli, ſed reliqua quoque inteſtina tenſionibus moleſtis afficiunt. Plexus enim meſaraici, ad aortam deſcendendo, adeo ad ſpinam dorſi adhaerent, ut eidem anterius quaſi agglutinati videantur, ideoque non ſolum vagos ſpaſmos in variis tubi inteſtinalis partibus efficiunt, ſed ſpinam dorſi lumbarem etiam in conſenſum trahunt. Saepius ita accidit, ut vicina latera ſimul dolerent, et ſpaſmi, ad thoracem et coſtas aſcendendo, pleuriticos ſaepe dolores mentirentur, qui tamen protinus compeſcuntur, quando cauſſa ſpaſmorum inteſtinalium idoneis remediis diſcuſſa eſt.

Eadem eſt cauſſa, cur ſaepe haemorrhoidales ſtaſes non tantum ad os ſacrum, ſed etiam ad lumbos atroces dolores, ad ſpinam aſcendentes, efficiunt. Quamquam enim ſanguine turgidae et ſaepe varicoſae venae, non ſolum ad ani orificium, ſed et altius in inteſtinis et meſocolo reperiuntur, atque rami venarum, ab hypogaſtrica oriundi, ſimili modo turgent, ex iis tamen dolor non tam declarari poteſt, quam ex nexu plexus hypogaſtrici, ad inteſtinum rectum usque deſcendentis, cum nervis oſſis ſacri et vicinis ſpinalibus. Inde enim regrediendo ad lumbos producitur tenſio haemorrhoidalis,

lis, quae colicis doloribus, ſimili modo excitandis, occaſionem praebet. Quae quidem omnia doloris ad ſpinam aſcendentis incommoda non ſolum in haemorrhoidibus veris ſanguineis, ſed in aliis ſpuriis mucoſis, ſcirrhoſis et carcinomaticis inteſtini recti et vicini tractus coli morbis, ad haemorrhoidales vulgo relatis, obſervantur.

Non eſt praetereunda hoc loco conſideratio tenſionum et dolorum, qui in menſtruorum acceſſu et difficili progreſſu, nec non in gravidis et puerperis exiſtere conſueverunt, cum varii ſpaſmi poſt puerperia moleſti hac ex re dijudicandi ſint. In junioribus quidem puerperis ſaepe ex ſpinae dorſi infirmitate, cujus nimirum partes juſtum robur nondum acquiſiverunt, tenſiones moleſtae facile excitantur et diu remanent. Gravidae enim molem abdominis, in graviditate auctam, vix ferre poſſunt, et quamquam ſaepe facili, nec impedimentis moleſto partu infantem enituntur, tanta tamen ſaepius imbecillitas coxarum et ſpinae remanet, ut per plures hebdomadas cruribus non niſi vacillantes inſiſtant, et ſi ex reliquo vigore corporis motus urgent, dolorum habitualium in ſpina dorſi, per totam vitam ſaepe moleſtorum, cauſſam inferunt.

Neque vero ſolum in his, ſed in adultioribus quoque feminis haec incommoda remanent, quando per validos in partu niſus ligamenta, muſculos et nervos ad ſpinam dorſi lumbarem et conjunctas cum oſſe ſacro coxas vehementer tendunt. Ex hac forte cauſſa abſceſſus lactei crebrius ad ſpinam lumbarem et inferiores extremitates, quam aliis in locis, oriri arbitror. Quando autem, et his non obortis, puerperae remiſſionem nimiae extenſionis et partium aequilibrium juſta quiete non reſtituunt, ſed nimium deambulant, vel alia negotia cum ſpinae dorſi motu valido tractant, novis omnino et moleſtis tenſionibus anſam praebent. Quae quidem damna in doloribus ſpinae habitualibus non modo in molliori vitae deditis, ſed in robuſtis quoque feminis obſervavi, idque non tantum in menſtruorum ortu et viciſſitudinibus, nec modo in graviditate iterum ſuccedente, ſed et in variis ex viciſſitudine tempeſtatum oriundis incommodis atque morbis, quibus etiam difficulter opem ferri poſſe, non raro cognovi.

Similis mihi ratio eſſe videtur calculoſorum. In his enim crebrius colica nephritica ob nexum plexus renalis cum meſaraicis, ſed cum ea quoque ad ſpinam dorſi aſcendentes tenſiones oriuntur.

Dolor

Dolor in his molestus utrinque ad spinam lumbarem, ubi renes siti sunt, non ita manifestus est, observatione potius cognovimus in iis, in quibus calculi renalis praesentia per alia signa satis evicta est, molestum sensum non in ipsa regione lumbari, sed deorsum ad inguina, in sexu potiori ad testes et ad tractum cruralis nervi, praecipue vero inter ambulandum ad spinam dorsi lumbarem deductum esse. Cum vero dispositio ad genesin calculi in renibus difficulter tollatur, aliquod levamen dolorum affertur, si vel cubando vel sedendo, diu enim erecti stare aut obambulare nequeunt, dorsum pulvinaribus densis et elasticis sustineatur, quo tensiones partium molestae mechanico hoc auxilio cohibeantur.

In ingressu febrium lassitudines spontaneae, tensiones vagae partium, inprimis crurum, consueta symptomata sunt, quae ex dyscrasia humorum, ut caussa febrium, pendent, et motibus febrilibus, per intervalla excitatis, subinde discutiuntur. Saepius vero dolores ad lumbos, indeque ad spinam ascendentes non ultima morborum febrilium incommoda sunt. Hinc etiam factum est, ut lumbago febrilis, variolosa cet. inter species hujus morbi a Cl. SAUVAGES relatae invenirentur. Hos quidem



dolores, ut cephalalgiam, febrili paroxyſmo agitatis crebro moleſtam, ex difficili ſanguinis tranſitu per piae matris vaſa, in cerebro et medulla ſpinali copioſiſſimis anaſtomoſibus juncta, declaramus, nec haec cauſſa prorſus negligenda eſt: re tamen accuratius perpenſa, cognovimus, ſaburram viſcidam et acrem, in primis viis haerentem et motam, tenſiones ad ſpinam efficere, quae ſaepe ad encephalum usque transferuntur.

Hanc vero cauſſam praecipuam eſſe, febres intermittentes tertianae, quarum cauſſa omnino ex colluvie acri et viſcida, in primis viis haerente, repetenda eſt, oſtendunt; hae enim non colicos dolores, ſed in paroxyſmo ipſo, quando materia morbi movetur, atrociſſimos ſaepe dolores ad ſpinam, ut ſymptoma, frequentiſſime declarant. Accidit enim, ut et tum, cum ſaburra ex primis viis ſurſum deorſumque emota eſt, paroxyſmi quidem eo usque permaneant, donec dyſcraſia acris et viſcida, in ſanguine et humoribus haerens, immutetur et corrigatur, dolores tamen ad ſpinam vel nulli vel longe mitiores ſint. Ita etiam in validis febribus continuis ex alia cauſſa, v. c. inflammatoria natis hoc ſymptoma non ita obſervatur, ut in inteſtinalibus.

Dum

Dum haec ſcribo, febris acuta continua bilioſa gravidam afficit, quae de atroci dolore in dorſo jam ab initio morbi magis, quam de ullo alio ſymptomate conquerebatur, ita ut abortum imminentem metuerem; primis vero viis, ut decet, purgatis, dolores ad ſpinam ferme omnes ceſſabant, et cum iis metus abortus evanuit. Ex quibus omnibus non temere concludo, variolas, morbillos, aliasque ex contagioſa humorum diatheſi oriundas febres, hanc ſymptomaticam lumbaginem tum demum oſtendere, quando acris et irritans humor in primis viis ſimul haeret, ſaepius enim animadverti, non ſemper poſt eruptionem exanthematis, ſed poſtquam primae viae per diarrhoeam ſpontaneam, purgantia medicamenta et clyſmata depuratae ſunt, hoc ſymptoma non amplius urgere.

Longius ſane hic progredi poſſem, ſi ſymptomaticos dolores, ad ſpinam oriundos, omnes perſequi vellem, nam tabes dorſalis, hypochondriaca et hyſterica paſſio, cardialgia et alii ex varia dyſcraſia humorum oriundi morbi a nobis examinandi eſſent. Quando autem ea, de quibus hactenus expoſuimus, recte perpendimus, facile perſpicimus, poſſe et alios ſymptomaticos dolores eorumque cauſſas inde diſcerni et in variorum morborum me-

dela

dela recte attendi. Post tot itaque ambages meum nunc est, de idiopathicis doloribus, ad spinam dorsi ortis, differere, id quod ex doctrinis praemissis facilius nunc intelligetur.

Cum in sanis de reliquo hominibus post validas corporis exercitationes, in primis in lucta et aliis vehementioribus spinae dorsi nisibus dolor fixus in aliquo hujus spinae loco subito oboritur, tum utplurimum in luxationibus et subluxationibus vertebrarum vel costarum in capitulis, ad spinam dorsi sitis, caussa doloris oborti quaeritur, chirurgicum tamen examen abunde docet, raro subluxationes ceu vehementes distensiones harum partium oriri, planeque fieri non posse, ut verae luxationes, hoc est ossis articulati secessus ex sua sede, deprehendantur.

Germani nostri, quoad ego quidem sciam, triplici vocabulo, in his doloribus, crebrius observatis, declarandis utuntur, *verfangen, verbrechen, wehe thun*, quae quidem vocabula cum promiscue adhibeantur et in aliis Germaniae provinciis alia forsitan synonyma habeant, pro norma doctrinae cujusdam medicae haberi nequeunt. Mihi autem, de hac re cogitanti, visum est, ad eorum normam, tres dolorum ad spinam dorsi ortorum species constitui posse.

posse. In definiendis itaque doloribus, ad spinam dorsi ortis, idiopathicis, primo de tensionibus flatulentis, postea de tensionibus variis in ligamentosis partibus spinae dorsi, denique de tensionibus ex stasi serosorum vel ex parte etiam sanguineorum humorum in fabrica musculosa agamus. Quam quidem rem, ubi in universum modum atque symptomata hujus affectus morbosi declaravero, eumque ad differentias caussarum fusius revocavero, ulterius declarare tentabo.

Interdum ex improviso, interdum post nisus quosdam, non ita validos, in lecto decumbentes vel sedentes vel obambulantes, et interea corpus in unum alterumque latus subito torquentes, porro in saltu aut terram uno pede vehementius pulsando, saepius tamen post graves totius corporis nisus et inprimis spinae dorsi contorsiones, insolitus, in aliqua spinae hujus parte, inprimis in confiniis thoracis et lumborum, pungens et fixus dolor oritur, qui tensione sua ad latera lumborum et thoracis producitur. Cum his saepe organa respirationis male afficiuntur, ita ut praecipue profunda inspiratio brevis et non nihil dolens animadvertatur. Ut plurimum in quiescente corpore nullus dolor est, in primis si aeger, tensionibus obortis, accommodatum

datum ſibi ſitum elegit, excitatur tamen vel in initio motus, vel in eo continuato. Aliquando tamen continuus dolor percipitur cum anxia reſpiratione. In lumbis ortus ibique primum fixus dolor non raro ita augetur, ut ad ſpinam dorſi totam aſcendat, et paulo poſt etiam cephalalgiam capitis univerſi, vel dolorem ad occiput tantum moveat.

Nos quidem ſi vehemens motus et contentus niſus doloris cauſſa eſt, vim aliquam ſpinae dorſi illatam eſſe arbitramur. Cum autem ſimilis ſenſus et tunc ſaepe oriatur, cum quis, infimo ventre imprimis repleto, equitando vel currendo adverſus ventum corpus vehementer agitavit, vel ſudorem inde excitatum repreſſit, vento nimis a pulmonibus ſuſcepto vel refrigerio ſubitaneo cauſſa tribuitur. Similis effectus in puſionibus ejulantibus et pueris, vehementer clamantibus, obſervatur, et omnes, contra venti impetum celeri nimis curſu nitentes, ſimile incommodum ex imi ventris tenſione et tumore ſentiunt.

De doloribus ad aliquem ſpinae locum fixis, vel inde ad caput aſcendentibus, vel pectus ſimul conſtringentibus, vel ex hypochondriis, ad ſcrobiculum cordis directis, potiſſimum nobis ſermo eſt. Quemadmodum autem in his ſenſus doloris varie moleſtus

eſt,

eſt, ita etiam diverſas illius excitandi cauſſas proponimus et remedia iis accommodamus. Etſi vero tenſiones flatulentae, de quibus primo loco dicendum eſt, ad ſymptomaticos dolores, ut colici, melius referri videntur, attamen ex ipſa tractatione patebit, ob arctiorem nervorum ad ſpinam dorſi nexum ad idiopathicos aliquo jure referendos eſſe.

Imum ventrem ſine omni doloris ſenſu ad ſpinam dorſi vehementer diſtendi poſſe, non ſolum repletio ventriculi et inteſtinorum a cibo et potu, vel ab aere ex his ſoluto et elaſtico facto, ſed etiam aſcites et hydrops ſaccatus, ex inſigni mole aquarum in his cavis ſtagnantium orti, tumores meſenterii et ovariorum magni, ipſa denique graviditas confirmant. Etſi vero dolor ille ideo non percipitur, quod peritonaeum, muſculi et reliqua abdominis integumenta ſubinde et lente extenduntur, in his tamen cauſſis omnibus, et in graviditate potiſſimum, infirma corpora a ſenſu ad ſpinam dorſi moleſto non libera reperiuntur. Quod ſi vero in has cauſſas accuratius inquirimus, non a diſtenſione univerſa, ſed potius a particulari, aliquam partem inteſtini expandente, cauſſa flatulenta dolor excitatur, quippe qui, his flatibus diſcuſſis, ſua ſponte ceſſat.

Neque



Neque vero aer, inteſtina diſtendens, per ſe cauſſa eſt, cum aequali ratione totus tubus inteſtinalis vel magnus ejus tractus turgeſcit et expanditur, neque frictiones abdominales, tum temporis applicatae, et cucurbitulae magnae, paſſim appoſitae, dolorem excitant et intendunt, ſed conſtrictiones partiales, quae in una alteraque et brevi interdum tubi inteſtinalis parte fiunt, magis moleſtae ſunt. Etſi enim conceſſi, flatulentam imi ventris extenſionem interdum quoque dolores ad ſpinam excitare, tamen tum praecipue, cum tumidus venter non eſt, ſed in univerſum contractus, ſpaſmi, ab irritatione inteſtinorum partiali orti, intenduntur, quod aerem elaſticum in tumida quadam parte intercipiunt, cujus demum preſſio ulteriorem nervorum tenſionem efficit et dolores ad ſpinam auget. In omnibus autem his tenſionibus ad collateralem ſive ſplanchnicum nervum, inprimis reſpiciendum, arbitror.

Si enim in infantibus et in adultis etiam, qui ſenſus percepti indolem melius deſcribere poſſunt, venter ultra modum tumet, et inprimis zona coli diſtenta verſus ventriculum et diaphragma anterius urgetur, regionibus hypochondriorum et ſcrobiculi cordis vehementer tenſis, reſpirationis difficilis

ſympto-

ſymptomata moleſtiora accidunt, brevior illa fit et magis anxia, oeſophagus ad cardiam et in toto ſuo tractu ſtrictus, ructus ſurſum nitentes cohibet, et niſi tunc ab inferiori parte aeri et ſaburrae foeculentae acri et viſcidae exitus conceditur, nihil levaminis affertur, ſed nervus quoque ſplanchnicus ad crura diaphragmatis tenditur, accedente etiam dolore ſpinae.

Si vero, partibus inteſtinorum, inprimis coli, conſtrictis aliisque vicinis expanſis, imus venter ab anteriori parte non tumet, ſed tumores paſſim oriundi retrorſum verſus diaphragmatis crura urgent, tunc etiam in ſtricto et compreſſo ventre vagi tumores tactu percipiuntur, qui non ſolum plexus meſaraicos et vicinos ſpinales nervos male afficiunt, ſed ſplanchnicus quoque nervus in conſenſum trahitur, tenſio ad origines intercoſtalis ſurſum ad cervicem et occiput continuatur, ex qua cauſſa dolor inde excitatus, longe vehementior eſt illo, qui a reſpiratione, varie intercepta, pendet. Quamquam vero uterque dolor interdum conjunctus eſt, tamen et in medela afferenda bene diſtingui debet. Quemadmodum enim in illo evacuatio largior morbum ſolvit, ſic in hoc ſola antiſpaſmodica dolorem compeſcunt, et, tenſione nimia cohibita, evacuationem faciliorem et liberiorem reddunt.



Dolor autem, a tenſis ad ſpinam nervis excitatus, potiſſimum in hypochondriacis et hyſtericis affectionibus ad par vagum ducitur; in his enim non ſemper pulmo in reſpiratione libera impeditur, ſed cardiae et gulae conſtrictio, ab hoc conſenſu inducta, majorem habet moleſtiam. Per conſenſum etiam ulteriorem non raro laryngis ſtricturae inducuntur, quod ex vulgo ſic dicta ſuffocatione uterina, cum ſenſu moti globuli ad collum patet. In omnibus vero his doloribus conſentientibus non tam ad mechanicam nervi totius tenſionem, quam in nexu ſplanchnici et ejus origine intercoſtalis, declaravimus, ſed ad acrimoniam, nervis inhaerentem et fibras medullares ſpeciatim irritantem, reſpiciendum eſt, ita, ut tandem varia haec incommoda complicatum maxime et univerſalem ſpaſticum morbum faciant, in cujus vera curatione ad acrimoniam ſingularem ſimul reſpiciendum eſt.

Tranſeamus nunc ad tenſiones ligamentoſas, ut cauſſas ſpaſmi, dolorem ad ſpinam dorſi excitantes et intendentes. Sub niſibus enim ſpinae variis in magnis oneribus ſuſtinendis, movendis et elevandis dolor vehemens ad aliquam ſpinae partem ſubito oritur, etſi vero tum utplurimum muſculi male afficiuntur, de iis tamen poſtea, nunc de inaequali-

bus

bus vertebrarum tenſionibus dicam. Cartilagines ligamentoſae, inter corpora vertebrarum collocatae, in tranquillis motibus elatere ſuo ſpinae varias flexiones juvant, in vehementioribus autem niſibus ſaepe ultra modum tenduntur, et quamquam apophyſes quoque tendi videantur, nunquam tamen tanta laeſio inducitur; quae luxationem vere efficiat. Quod ſi vero, durante hoc niſu, vis aliqua externa ſpinam dorſi a parte poſteriori petat, tum vel fracturam, vel aliquam etiam diſtorſionem, aut ſubluxationem articularium praecipue proceſſuum fieri poſſe, largimur. De his autem, ut ſingularibus ſpinae dorſi morbis, nunc nobis agendum non eſt.

Tanta tamen vis corporibus vertebrarum non ſolum in junioribus, ſed etiam in adultis, quorum ſpina ſatis corroborata eſt, non raro infertur, ut ligamenta ultra modum tendantur, vel ex parte prorſus dilacerentur, vaſa comprimantur et lacerentur, humor effundatur, et, licet in his partibus celeres abſceſſus non ſequantur, lentae tamen corruptiones materiae effuſae et abſceſſus ad ſpinam dorſi et oſteoſteatomata efficiant. Illi lentam corporum vertebrarum cariem, haec tumores inducunt, quibus partes vicinae comprimuntur et quamquam oſſea ſtrata in ipſo tumore naſcuntur,

 ex

ex parvis tamen abſceſſibus, paſſim ad hos tumores natis, carioſae etiam oſſium vicinorum eroſiones exiſtunt. In utroque morbo poſt multos ad ſpinam dorſi excitatos dolores, macies et lentae febres aegrum demum conſumunt. De his fuſius egit Cl. HERRMANNVS *) et oſteoſteatomata iconibus nitidis illuſtravit, pauca etiam de levioribus et frequentioribus ad ſpinam dorſi anterius exortis exoſtoſibus commemoravit **) quas tamen nunc ad ductum iconis, a nobis exhibitae, illuſtrabimus.

In adultis ſaepe et tum, cum ſpina dorſi juſtum ad intenſos motus ſuſtinendos robur obtinuit, validae tenſiones non ſolum vertebras ab una alteraque parte in corporibus diducunt, cartilaginem ligamentoſam ultra modum tendunt et dilacerant, ſed etiam ligamentum anterius vertebrale commune extendunt, ex qua re ob nervos proximos dolor ad ſpinam oritur, qui in quieſcentibus iterum ſopitur, interea tamen exoſtoſibus gignendis occaſionem praebet. Ex tribus ſpinis, has exoſtoſes monſtrantibus, eam ſelegi, quae has mutationes egregie exprimit, quo commodam iconem exhiberem.

*) vid. Diſſ. inaug. IOH. GOTTHELF HERRMANNI de oſteoſteatomate. Lipſiae 1767. 4to. §. 7. ad 10.
**) l. c. §. 6.

berem. De ea in universum admoneo, margines corporum vertebrarum inaequales esse, ac magis prominentes, in ultimis etiam colli et plurimis dorsi vertebris, in media parte leviores quasdam eminentias apparere, in confiniis vero dorsi et lumborum et in ipsis lumborum vertebris, tantas inaequalitates marginis esse, ut ubique ferme sat magnae exostoses conspiciantur. Hujus itaque potissimum partis delineationem ad argumentum nostrum uberius explicandum proposui.

Inter nonam et decimam vertebram dorsi utrinque eminentiae sat magnae *a. a.* apparent, ipsa vero undecima vertebra in parte dextra exostosin offert, *b.* quae in superiori parte *α.* cum simili certe exostosi, ex decima nata, articulationem, deorsum vero super duodecimam vertebram unco quasi prominente *β.* super breviorem hujus eminentiam profertur, nec coalescit. Quemadmodum autem a latere sinistro inter nonam et decimam vertebram ad *a. a.* sic inter decimam et undecimam ad *c.* similis eminentia conspicitur. Multo tamen major est illa, quae a vertebra duodecima late sursum tendit ad *d.* et non tantum extrorsum, sed introrsum magis in cornu veluti extenditur. De reliquis eminentiis primae secundae et tertiae lumborum ver-

tebrae nihil commemorabo, ſed tantum exoſtoſem ſingularem oſtendam, quae inter tertiam et quartam lumborum vertebram a ſiniſtro latere, ut oſſiculum peculiare, *e.* corporibus vertebrarum interpoſitum eſt, lata tandem exoſtoſis *f.* ex margine inferiore ſiniſtro vertebrae quartae verſus quintam deſcendit, quae tamen et hic a ſimili, ex quinta vertebra aſcendente, excipitur, quam in icone non ita, ut priorem, indicare potuimus.

Hae exoſtoſes verae et denſae ſunt, ex vehementius diductis corporibus vertebrarum natae, et longe differunt a cruſtis oſſeis, fungoſis, agarici vel ſtalactitis in modum, ſuper corpora vertebrarum ductis*) de quibus quidem in gibberoſitatis ſenilis deſcriptione ſuo loco nonnulla proponam, ideoque tantum his obiter moneo, exoſtoſes noſtras denſas, non fungoſas eſſe, nec anchyloſin efficere, ſed motum aliquem, licet difficilem, ſpinae dorſi admittere.

Ejusmodi autem mutatio non uno impetu fit, ſed ſunt, qui ad duros hos labores ſaepe revertantur, cum tamen de doloribus, nunquam plane

ſopitis,

*) vid. ALBERTI HALLER Elementa Phyſiologiae Corp. Hum. Vol. VIII. Part. I. pag. 318. Part. II. pag. 80.

ſopitis, ſemper conquerantur. Senes quoque et ad labores hos perferendos minus idonei, etſi quieſcentes, praecipue tamen tempeſtatum viciſſitudinibus agitati, dolorem ſaepe, ultra modum auctum, experiuntur. Remanent enim ad has partes tenſas obſtructiones lentae, quae liberum humorum circulum, in ſenibus ſemper languidum, in his partibus non admittunt, ex qua cauſſa etiam nervi, ad ſpinam dorſi excurrentes et conjuncti, tenduntur, irritantur, ideoque dolores hos ad ſpinam augent.

Reſtat, ut examinemus ſtaſes ſeroſas vel leviter inflammatorias in muſculis, a parte poſteriore ſpinae collocatis. Quando validae tenſiones ſpinae, inprimis in extenſione ſucceſſiva, vel etiam leves inflexiones ad latera in opere aliquo exequendo requiruntur, tunc, qui ſanitati conſulunt, inſpiratione cohibita et, quantum fieri poteſt, continuata, motus hos moderantur. Strata nimirum muſculoſa multifidi ſpinae, ſpinalis et ſemiſpinalis, ſacrolumbaris et longiſſimi dorſi et alii minores ad vertebras ſiti muſculi, in continua et diu protracta conſtrictione ſubſiſtere non poſſent, niſi faſciae, quae has carnes, in ſpina aſcendentes, cingunt, eas in arctiori ſitu conſtringerent. Etſi vero ſerrati, ſuperior et inferior, in continuanda inſpiratione pecto-



pectoris dilatationem urgent, et simul carnes ascendentes arctius complectuntur, tamen alii accessorii, latissimus dorsi et rhomboideus et ex parte cucullaris, scapulis et humeris tunc antrorsum ad onus movendum extensis, hanc compressionem juvant, atque ita efficiunt, ut onus movendum tolli et suo modo varie dirigi possit.

Hoc facto, et tum, cum moles movenda vel elevanda non tolli possit, musculi, in hoc opus intensi, prius, onere relicto, relaxandi sunt, quo tandem exspiratio blanda diuturnam inspirationem sequatur. Si vero exspiratio necessaria est, vel ex improviso admittitur, antequam constrictiones validae musculorum ad spinam cessent, musculosi fasciculi in statum aequilibrii blande se remittere nequeunt, sed spastice constringuntur, et ita humorum motum in vasis minimis et cellulis intercipiunt, vel etiam leves stases inflammatorias admittunt, ex quibus dolor intensus ad unam vel alteram spinae partem oboritur et saepe fixus manet. Raro quidem in his partibus abscessus ex sanguine stagnante nec facile resorbendo oriuntur, sed stases serosae potius, quae lente discutiuntur, rigiditate plus minus insigni in his partibus relicta, cujus rei auxilia postea examinabimus.

In

In his et aliis nifibus mufculorum, vehementer tenforum, Cl. POUTEAU luxationem quandam mufculorum vel fafciculorum mufcularium ita propofuit, ut mufculofa ftrata ex fitu fuo prorfus fecedere contendat *) *deplacemens des mufcles.* In qua re examinanda nunc paululum verfabimur. Arbitratur autem Cl. Vir, fafcias quidem validas mufculos, durantibus etiam vehementioribus motibus, in fuis fedibus retinere, fi tamen interdum vel contractio violenta unius mufculi inter congeneres, vel preffio valida congenerum contra unum, non tam valide contractum, vel tandem in compofitis mufculis unius partis contractio vehementior accedat, tunc conftrictionem membranarum cingentium non fufficere, contextum potius cellulofum dilacerari, vafa fanguifera minima rumpi et fibras nerveas tendi. Urget ideo, hanc luxationem mufculi, feu deductionem ex fitu naturali in alium perverfum dici poffe et debere, eamque per dolorem et motus difficultatem cognofci. Auxilia denique, quae hic adhiberentur in emollientibus medicamentis applicatis, ac contractione inde moderata reddita, nec non in leni frictione et preffione

*) vid. CLAUDE POUTEAU Melanges de Chirurgie à Lyon 1760. 8vo. maj. pag. 405.

musculi, in verum situm reducendi, posita esse affirmat.

Sed venia experientissimi et nobis amicissimi Viri monuerim, ejusmodi luxationem cum cellulosi contextus et vasorum sanguiferorum, ad musculum ductorum, dilaceratione et nervorum enormi tensione factam, si forte acciderit, sine vehementi inflammatione et inde nato ab humoribus effusis et stagnantibus abscessu non esse posse, ideoque in laesionibus illis non nisi stasin aliquam statui posse, quae vel serosa est, vel levissime inflammatoria, tensionibus ad breve tempus molesta, et auxiliis adhibitis, sine ulla destructione partium discutienda. Quod si vero auxilia idonea negliguntur, tunc aliqua tantum stagnantis humoris resorptio fit, et in quolibet motu hujus partis dolor aliquis non tam acutus remanet, qui potissimum in vicissitudinibus tempestatum, expeditam humorum circulationem turbantium, tensionem reiteratam et molestam relinquit.

De auxiliis in his tensionibus applicandis nunc breviter exponendum est. In tensionibus infimi ventris flatulentis frictio abdominis robur intestinorum, per partes extensorum, restituit, aerem, cava partialia distendentem, discutit et ita spasmis

intesti-

inteſtinorum remittentibus, etiam conſentientes ad ſpinam dolores cohibet, et tollit. Frictio autem non tantum universi ambitus infimi ventris, ſed potiſſimum ad tractum coli inſtituatur, ita ut a dextris incipiendo ſenſim per hypochondrium dextrum, per regionem epigaſtricam, ad ſiniſtrum progrediendo, in latere ſiniſtro ad flexus coli inferiores finiatur. Perverſe igitur agunt, qui, pollicibus ad cartilaginem xiphoideam utrinque appreſſis, a tumido ibi ſcrobiculo cordis ad hypochondria utrinque deſcendunt, quam fricandi rationem aniculae noſtrae in infantum abdomine, flatibus diſtento, ſaepe adhibent, et tenellos miſere ſaepe excruciant. Neque haec frictio tentanda eſt antea, quam vel purgante medicina vel clyſmate inteſtina ex parte libera ſint reddita; hac enim cura neglecta, ſaepe ſpaſmi, ex acrimonia orti, magnopere intenduntur.

Cum vero vola manus ſiccior contra ſicca abdominis integumenta, validius ſtricta, moleſtum ſenſum efficiat et praeſentem augeat, manus et abdomen oleo inungenda ſunt, quo, emolliente vi ſimul applicata frictio, blandior ſuccedat. Etſi vero in hunc uſum oleum purum vel butyrum non ſalitum ſufficit, olea tamen carminativa cocta, qualia plerumque



rumque eliguntur chamomillae et anethi, praestantiora sunt, quoniam lenior halitus aromaticus in nervos tensos penetrat, qua propter etiam unguentum de linaria, si aliqua olea destillata menthae, rutae et absinthii admixta habet, optimum ad abdomen fricandum remedium subministrant. Olea empyreumatica vim nervinam excellentiorem habent, sunt autem propter foetorem ingrata, succini tamen oleum et castoris axungia, nec non aliquando opium admisceri possunt. Ex hoc effectu forte aniculae excusandae sunt, quando in fricando abdomine infantum oleum vetustum lampadis, rancidum magis redditum, puro et recenti oleo praeferunt.

Neque vero tantum in tensione flatulenta, ad spinam dorsi derivata, sed magis tum, cum ligamentis vertebrarum, et musculis ad spinam vis illata est, vel pandiculatio crebrior vel lenta spinae dorsi extensio utilis est. Explicemus modum hujus extensionis, quem sequuntur artis chirurgicae imperiti homines, duce sola consuetudine, nec sine felici successu. Homo robustus in terra sedeat, calcibus, dum genua elevat, ad nates retractis. Ante eum pressius collocetur aeger, in terra quoque sedens,

cruri-

cruribus antrorſum extenſis, complicatis ſuper pectus brachiis, ita, ut volae manuum alternatim in latera oppoſita thoracis applicentur. Prior tunc aegrum amplectens, dorſum ejus ad genua ſua fortiter apprimat, et ſenſim paulatimque ſpinam ejus retrorſum extendat lente et recta, quo quidem modo moleſtae conſtrictiones ſolvuntur, et diſcuſſio ac reſorptio ſtagnantis humoris efficitur.

Haec valida extenſio ſuper genua mihi non tam probatur, quam altera methodus, ubi homo robuſtus erectus, aegrum, ante ſe collocatum erectum, brachiis deſcripto modo ſuper thoracem complicatis, vel, quod melius eſt, cubitis et manibus, flexis brachiis, verſus faciem directis, muſculis pollicis ad oculos ſuos applicatis ideoque capite non nihil antrorſum inflexo, habet. Hunc aegrum igitur, brachiis inflexis et ad pectus appreſſis, alter complectitur, totum corpus retrorſum elevat et non nihil agitat, ut ſpinae dorſi muſculi, quibus in niſu aliquo inordinato vis illata eſt, et qui ſpaſtice tenduntur et conſtringuntur, proprio corporis pondere blande extendantur et concutiantur, quo facto, ſtri-

dore



dore et ſtrepitu aliquo percepto, ſpaſmus in muſculis et tenſio in ligamentis et nervis tollitur.

Quoniam vero in imbecillis hae laeſiones ſaepius accidunt, non inconveniens videtur, ut balneis ſubfrigidis et frictione ſpinae per ſpongias, vel inunctione ſpinae cum unguentis, paulo ante commemoratis, vel vino cum baccis lauri, juniperi aliisque acromatibus digeſto, et cum his blanda ſpinae dorſi frictione adminiſtrata, robur partium, ibi ſitarum, concilietur. Etſi vero tales imbecilles, a validioribus ſpinae tenſionibus arcendi ſunt, aequalis tamen et blanda agitatio in ſaltatione et aliis corporis exercitationibus nunquam intermittenda eſt. Poſteaquam vero ſupra commemoratis auxiliis uſi ſunt in lectulo, corpore, quantum prae dolore fieri poteſt, extenſo, et hac extenſione vario modo tentata, diſcuſſionem ulteriorem juvent.

Quoniam porro ſpaſmi, in corpore excitati, blando ſudore ſuccedente, ſaepius ſolvuntur, non inutile erit, infuſis plantarum ſubaromaticarum ſcordii, agrimoniae, betonicae cet. vel arnicae,


vel

vel roob ſambuci in aquis analepticis ſoluto, vel liquore cornu cervi, aliisque medicamentis alexipharmacis, quin etiam electuariis, quibus proportionata opii doſis addita eſt, diſcuſſionem humorum ſtagnantium et ſpaſmi ſolutionem efficere.

Maxima etiam in his eſt vis medicamentorum antiſpaſmodicorum. Fuligo ſplendens et caſtoreum non ſine fructu adhibentur. Equidem ſaepius iis, qui de doloribus ad ſpinam, vel ex cauſſa flatulenta, vel poſt niſum validum corporis inductis, conqueſti ſunt, hanc medicamenti formulam ſcripſi: concharum ſine igne praeparatarum, nitri depurati ana ſcrupulum unum, pulveris caſtorei et fuliginis ſplendentis ana ſcrupulum ſemis, miſce, dividatur in duas partes, quibus pulveribus multi cum fructu uſi ſunt.

Bajuli noſtri, qui in oneribus dirigendis et movendis ſaepe his incommodis afficiuntur, et ipſi ſumunt et aliis ſuadent ſanguinem hirci exſiccatum, alii vires rubiae tinctorum laudant, et optimum et ſelectum pulverem, quem *Grapp* vocant, a mercatoribus ſibi expetunt. Quoniam vero hoc

genus



genus hominum ſpiritu ardente nimis delectatur atque commemorata medicamenta utplurimum in liquore ſpirituoſo concentrato ſumunt, ita ut deinceps diu quieſcant et ſudent, dubium omnino eſt, utrum per ſudorem, an per vim medicamenti ſpecificam levamen habeant. Ceterum rubiae tinctorum vim non prorſus contemno, cum et in odore aliqua vis antiſpaſmodica appareat, et ego hunc effectum etiam in infuſis concentratis et decoctis ſaepius cognoverim.

EXPLICATIO ICONIS.

9-12. Vertebrae dorſi a nona ad duodecimam.

I-V. Vertebrae lumborum a prima ad quintam.

VI. Pars oſſis ſacri ſuperior in icone conſpicienda cum duobus proceſſibus lateralibus.

** Hiatus ab exſiccatione ortus, inter quintam lumborum vertebram et os ſacrum, ob quem hoc ita reflexum erat, ut non, niſi ſuperior ejus pars, icone exprimi potuerit.

a.a. Eminentia dextra et ſiniſtra ad nonam et decimam dorſi vertebram.

b. Exoſtoſis undecimae vertebrae dorſi, ſurſum aſcendens, in conjunctione cum decima dorſi vertebra

tebra articulationem veluti format α. et deorſum ad conjunctionem cum duodecima dorſi vertebra uncatum proceſſum β habet.

c. Eminentia ſiniſtra inter decimam et undecimam vertebram.

d. Exoſtoſis amplior a duodecima ad undecimam vertebram producta.

e. Oſſiculum ſubrotundum, non nihil eminens, inter tertiam et quartam lumborum vertebram infixum.

f. Exoſtoſis lata ex margine inferiori quartae vertebrae lumborum ſiniſtrorſum ad quintam deſcendens.

* Proceſſus transverſus tertiae lumborum vertebrae tantum delineatus eſt, reliqui enim, quod ob ſiccitatem oſſis deſtructi erant, in icone adumbrari non potuerunt.

CONTENTA IN HAC PARTE.

INDEX



G. C. Reichel MD. ad nat. delin.

I. M. Stock sculps. Lips.

INDEX.

A.

Vrina

EMENDANDA.

pag. 9. lin. 2. victu lege victui.
— 34. lin. 10. acrimoniam — natam et auctam lege acrimonia nata et aucta.
— 47. lin. 10. verocitas l. voracitas.
— 80. lin. 4. copiosam l. copiosum.
— 89. lin. 12. foedor l. foetor.
— 90. lin. 17. hebdomatibus l. hebdomadibus.
— 99. lin. 5. percepta l. percipiens.
— 142. lin. 11. congulatum l. coagulatum.
— 155. lin. 23. purulent l. purulenti.
— 159. lin. 23. haemoptes l. haemoptoes.
— 161. lin. 16. experiuntur l. experiantur.
— 173. lin. 15. hydatites l. hydatides.
— 181. lin. 2. tantum l. tantam.
— 185. lin. 13. alia l. aliae.
— 209. lin. 9. solidorum et fluidorum l. solidarum et fluidarum.
lin. 22. fluidorum l. fluidarum.
— 217. lin. 19. singulos l. singulas.
— 313. lin. 13. auguffo l. augusto.
— 338. lin. 3. derivanda l. derivandae.
— 344. lin. 16. suppressio l. suppressionem.
lin. 23. deducenda l. deducendam.
— 387. lin. 10. indiganda l. indaganda.
— 392. lin. 9. animandversionibus l. animadversionibus.
— 414. lin. ult. promeridiana l. pomeridiana.
— 416. lin. 23. ipsa l. ipsi.
— 438. lin. 10. ipsae l. ipsi.
— 445. lin. 12. ductum l. ductam.
— 452. lin. penult. viritutis l. virtutis.
— 453. lin. 5. summam l. summum.
— 454. lin. 20. eorum l. earum.
— 487. lin. 12. Quod sic l. Quod si.
— 514. lin. 12. aliquos l. aliquas.
— 533. lin. 13. Aqua — tritum lege aqua — trito.
— 583. lin. 12. gonorrhaea l. gonorrhoea.
— 617. lin. 15. ritae l. rite.
— 728. lin. 6. lactei l. lacteos.

